Kranz, Walther

De forma stasimi.

DE FORMA STASIMI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

WALTHARIUS KRANZ

HANNOVERANUS

Promotio sollemnis habebitur die XIV. Octobr. anni MCMX.

Ad ordinem rettulerunt

Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff
Hermannus Diels.

Dissertationis ut pars typis exprimeretur, permisit philosophorum ordo; reliqua postea publici fient iuris.

Typis expressit Anhaltische Buchdruckerei Gutenberg Dessaviae.

PETRO CORSSEN

Signorum tabula.

Ar. A. p.	=	Aristoteles de arte poetica ed. Christ.
Christ	=	W. Christ Metrik der Griechen und Römer [2].
Detscheff	=	D. Detscheff De tragœdiarum Graecarum conformatione scaenica ac dramatica Diss. Gotting. 1904.
Herm. El.	=	G. Hermanni Elementa doctrinae metricae.
Myriantheus	=	Myrantheus Die Marschlieder des griech. Dramas.
P. W.	=	Pauly-Wissowa Realenzyklopädie.
Roßb.-Westph.	=	Roßbach-Westphal Griechische Metrik [2].
Westph. Prol.	=	Westphal Prolegomena zu Aeschylus Tragödien.
Wil. Hipp.	=	U. de Wilamowitz Euripides Hippolytos.
— Her.	=	— — Herakles [2].
— Gr. Tr.	=	— Griechische Tragödien I, II, III.
— Com. metr.	=	— Commentariola metrica I, II.
O. R.	=	Soph. Oedipus Rex.
O. C.	=	— — Coloneus.
Her.	=	Euripides Heraclidae.
Herc.	=	— Hercules.
α	=	stropha prima.
α′	=	antistrophus -
α″	=	epodus -

Editionibus in versibus afferendis usus sum Aeschyli a Sidgwickio, Sophoclis a Nauckio, Euripidis a Murrayo curatis.

De argumento totius dissertationis v. p. 70.

Prolegomena.

Disputationum exordia philosophi inde fere capiunt ut quid sit et quale de quo acturi sint elaborate planeque constituant: philologis quos philosophorum ingredi decet vestigiis, siquidem historiae rerum operam dant, non solum exponendum quid ipsi certo cuidam verbo subiectum velint, verum etiam quae principalis naturalisque fuerit huius verbi significatio temporum decursu variata saepe ac permutata. itaque nobis antequam de tragoediarum Graecarum choricis instituamus quaestionem, pauca in animo est proferre de verbis *στάσιμον*, *στροφή*, *ἐπῳδός*, quae verba parum recte videntur explanari a recentioribus parum recte explanata a grammaticis Graecis.

atque de stasimo Aristoteles auctor atque parens doctrinae grammaticae Graecae definitis prologo, episodio, exodo (A. p. c. 12 *ἔστιν πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου, ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν, ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος*) scripsit haec: *χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλη* (Westph. Proleg. p. 59 *ὅλου*) *χοροῦ, στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου*, subiuncta illa commi definitione: *κόμμος δὲ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ* ⟨*τῶν* Ritter⟩ *ἀπὸ σκηνῆς*. — haec verba difficillima sane ad interpretandum infinitas prope atque innumerabiles movere disputationes: de stasimo duae nunc vigent sententiae.

I. Myriantheum verba *ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου* adiuncta esse affirmantem (p. 116 [5]) verbis *μέλος χοροῦ* ut separarentur a melicis versibus chori anapaestici trochaicive coryphaei, quibus histrionis denotari solet adventus vel abitus, redarguit Detscheffius (p. 26), cum quaesivit curnam sola in stasimi definitione hoc addiderit Aristoteles iisdem anapaestis haud raro subsequentibus parodum. accedit quod Aristoteli si segregare voluisset coryphaei anapaestos a cantico chori, dicendum fuisset

μέλος χοροῦ ἄνευ ἀναπαίστου κ. τρ. non μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου κ. τρ. — at pro Myrianthei quam ipse Detscheffius (p. 27) protulit sententiam: stasimum secundum quidem Aristotelem esse canticum chori neque egredientis e scaena neque in scaenam introeuntis sed in scaena astantis, cum tetrametri trochaici ac systemata anapaestica ad gressus faciendos recitata essent, non minus duco esse falsam. quis enim ostendit, quis potest ostendere chorum tragicum non recitasse anapaestos trochaeosve nisi facientem gressus? tamen aliquid veri hic latere postea comparebit.

II. Westphalus (Proleg. p. 60) stasimum choricum esse interpretatus prooemiis (vel interiectis inter cantum ipsum versibus) anapaesticis (vel trochaicis) stasimo oppositam censet esse parodum, quam λέξιν non μέλος χοροῦ vocasse affirmat Aristotelem ut choricum lyricum simulque anapaesti interdum recitati a coryphaeo vel ante choricum vel post singulas chori strophas (cf. p. 48 q. s.) uno comprehenderentur verbo. igitur Aristotelis ex sententia parodum instructam esse posse anapaestis, stasimum non posse. at duae sunt causae quibus ne hanc quidem Aristotelis fuisse sententiam patefit.

1. constat inter omnes non pauca exstare stasima Aeschyli (Suppl. 630 Pers. 548. 633 Sept. 832 Ag. 367 Eum. 321) quibus eodem modo proludatur per anapaestos atque parodis. neglectis igitur Aeschyleis Sophoclea tantum atque Euripidea stasima respiceret Aristoteles numquam anapaesticis prologis instructa. at cum parodi constantes chorico coryphaeique prooemio post Alcestidis tempora (438) non iam compositae (cf. p. 51 q. s.) Aeschyleae potissimum vocandae videantur, id eveniret ut parodi formae antiquae vel antiquissimae rationem duceret Aristoteles, stasimi non duceret, immo siquidem hoc uno differre affirmaret parodum ac stasimum quod hoc esset ἄνευ ἀναπαίστου κ. τρ., illa esse posset μετὰ ἀναπαίστου κ. τρ., quasi negaret carmina illa Aeschylea stasima esse. — accedit quod parodi trochaicis tetrametris coryphaei amplificatae in tragoediis omnino non exstant.

2. Westphali sententia accepta, quoniam voce λέξις significari vult: fieri posse ut parodus constet versibus et cantandis et recitandis, cur stasimum non μέλος χοροῦ, sed μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου vocaverit Aristoteles, causa reperiri nequit. cui dicendum erat aut πάροδος λέξις χοροῦ, στάσιμον μέλος χοροῦ aut πάροδος τὸ πρῶτον μέλος χοροῦ, στάσιμον μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου.

nos sic progressi sumus. stasimum definitione Aristotelea non potest esse oppositum parodo, oppositum igitur est alterius formae carmini.

στάσιμον μέλος χοροῦ, τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου. hoc qui audiverit legisse affirmabit Aristotelem carmina chorica anapaesticis systematis tetrametrisve instructa ipsis quoque recitatis vel cantatis a choro toto quae pro stasimis haberi vetuit. — atque ipsi nos talia legimus cantica in tragoediis Graecis.

Choeph. 719 Clytaemestra et Oreste e scaena egressis ut pausa expleatur ad actionem fabulae necessariam, coryphaeus:

εἶεν, inquit, *φίλιαι δμωίδες οἴκων,*
πότε δὴ στομάτων
δείξομεν ἰσχὺν ἐπ' Ὀρέστῃ;

quae verba subsequitur non 'stasimum', sed anapaesticum systema (722—729) totius chori vel sententiis stasimi simillimum. — praeter hoc stasimi loco, id est post abitum histrionis atque ante introitum alterius, tria reperiuntur carmina anapaestica:

Choeph. 855 Ag. 1331 Med. 1081.

quae cur composita sint a poetis cum alio dissertationis loco (p. 24) in animo sit quaerere, et stare pro stasimis et totius esse chori ultro apparet. nam canticum Choeph. 855—68 prioris illius vel argumento perquam simile, quamvis ei non proludatur verbis coryphaei, eadem ratione recitatum sit necesse est qua illud; Ag. 1331—42 chorum habere, non coryphaeum per analogiam esset concludendum, nisi clauderetur canticum v. 1344

σῖγα· τίς πληγὴν ἀυτεῖ καιρίως οὐτασμένος;

quem coryphaei esse, chori cantum interrumpentis, multis confirmatur exemplis (cf. Wil. Her. II p. 38) veluti Sept. 861

ἀλλὰ γὰρ ἥκουσ' αἵδ' ἐπὶ πρᾶγος
πικρὸν Ἀντιγόνη τ' ἠδ' Ἰσμήνη ...

vel Bacch. 1165

ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ εἰς δόμους ὁρμωμένην
Πενθέως Ἀγαύην ...,
... δέχεσθε κῶμον εὐίου θεοῦ[1]).

---

[1]) v. Ag. 1344 coryphaeum habere si concedis, sequitur v. 1346/7 recitare eundem, siquidem coryphaei est impellere comites ut proferant sententias, atque confirmatur coniectura versibus similibus Hec. 1035 q. s.

Ag. 1343.	Hec. 1035.
Ἀγ. ὤμοι, πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω.	*Πολ. ὤμοι τυφλοῦμαι φέγγος ὀμμάτων τάλας.*

Med. 1081 frigidum illud choricum quo feminas philosophari non dedecere demonstrare conatur Euripides, si a coryphaeo recitatum esse affirmas cum Wilamowitzio (Gr. Tr. III, 238), quo utaris argumento, nescio; hos quoque anapaestos sicut illos Aeschyleos pro stasimo positos totius esse chori veri simillimum est. at de his quidem litigare nolo; id manifestum esse duco fuisse carmina anapaestica quae totus habuit chorus. — atque unum saltem exstat canticum trochaicis e tetrametris compositum, pusillum sane sed quod choreutas recitasse cunctos ipse dicit poeta. Persarum dux Reginam salutans (Pers. 152)

προσπίτνω, ait, *καὶ προσφθόγγοις δὲ χρεὼν αὐτὴν*
πάντας μύθοισι προσαυδᾶν,

cui oboediunt comites ita ut quattuor recitent tetrametros [1])

ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη

et qu. sequ. verum fabulam quo antiquior fuerit, eo plures habuisse trochaeos cum tradat Aristoteles (A. p. 4), nescio an olim plura legerint

---

Κορ. σῖγα· τίς πληγὴν ἀυτεῖ καιρίως οὐτασμένος;
Αγ. ὤμοι μάλ' αὖθις, δευτέραν πεπληγμένος.
Κορ. τοὔργον εἰργάσθαι δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγματι.
ἀλλὰ κοινωσώμεθ' ἄνδρες (Wil.: *ἄν πως*) *ἀσφαλῆ βουλεύματα.*

Κορ. ἠκούσατ' ἀνδρὸς Θρηικὸς οἰμωγήν, φίλαι;
Πολ. ὤμοι μάλ' αὖθις, τέκνα, δυστήνου σφαγῆς.
Κορ. φίλαι, πέπρακται καίν' ἔσω δόμων κακά...
βούλεσθ' ἐπεσπέσωμεν; ὡς ἀκμὴ καλεῖ...

eidem vero coryphaeo, cum qui consilium dedit sui deliberandi eum ipsum primum quid sentiat dicere consentaneum sit, etiam v. 1348—49 tribuendi sunt, ita ut inde a 1350—1371 colloquantur comites (11 × 2); itaque distribuendi

3 tetram. trochaici : coryphaeus
12 × 2 trimetr. iamb. = 12 sententiae = 12 choreutae.

(sic recte Verral. p. 158). atque duodecim fuisse choreutas in Eumenidibus ex v. Eum. 585 q. s. nescio an recte concluserint Weilius atque nuper Blassius (Eum. p. 138). igitur falso scholiastes ad. v. Ar. Equ. 586 *συνειστήκει ὁ χορὸς ὁ μὲν κωμικὸς ἐξ... κδ', ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὄρνισιν ἄρρενας μὲν ὄρνις ιβ', θηλείας δὲ τοσαύτας, ὁ δὲ τραγικὸς ⟨ἐξ⟩ ιέ ὡς Αἰσχύλος ⟨ἐν⟩ Ἀγαμέμνονι,* sed hoc ipsum coniecisse grammaticum eis ex versibus quos nunc tractamus, ut qui in quindecim distribuantur partes, si versuum numerum, non sensum spectes, mihi constat. — haec si recte disputata sunt, Sophocles post annum 458 numerum choreutarum ex 12 in 15 auxisse putandus est.

[1]) iterum obloquitur Wilamowitzius (Herm. 32, 383): zwar heißt es ausdrücklich 154, daß alle sie anreden sollen; allein es ist nicht denkbar, daß die

chorica trochaicis tetrametris instructa. ceterum ne Aristophanem quidem chorum totum tetrametros recitantem inducere veritum esse ex verbis sequitur Trygaei (Pax 309. 318) chorum ita compellantis

οὐ σιωπήσεσθε;

et ἐξολεῖτε μ᾽ ὤνδρες, εἰ μὴ τῆς βοῆς ἀνήσετε,

itaque qui antecedunt tetrametri non solius coryphaei sed choreutarum fuerant.

at hi anapaesti et trochaei quonam modo recitati sint a choro vel omnino quo distulerint a numeris lyricis, cum nesciamus, quid Aristoteles voluerit, nunc puto comparere.

numeri anapaestici recitantur cum 'terram pulsant pedibus' choreutae, trochaici 'celerrime decurrunt'. illos milites cantasse scimus in hostem cum faciebant impetum (cf. Wil. Textgesch. d. Lyr. p. 67), hos *κορδακικωτέρους* vocat Aristoteles (Rhet. III, 8 cf. A. p. c. 4), aptiores cordaci quem comoediae chorus saltabat, cum *ἐμμέλεια* tragoediae propria esset; igitur *στάσιμον μέλος* esse dicit 'carmen statarium'[1]), tranquillis numeris modisque instructum, sic progressus in definiendis tragoediae partibus ut in definitione parodi quo loco collocata esset a poeta *(πάροδος πρώτη λέξις χοροῦ)*, in definitione stasimi et commi *(κόμμος = θρῆνος)*, quoniam de commi in tragoedia loco omnino nihil, de stasimi nihil certe novi poterat proferre episodio iam prius sic definito: *ἐπεισόδιον μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν*, primariam quam putavit verbi significationem respiceret. atque reapse hoc infuisse in voce *στάσιμον* ex sententia Aristotelis his confirmatur locis:

Polit. Θ 1340 ^{b} 9 *οἱ μὲν (τῶν ῥυθμῶν) ἦθος ἔχουσι στασιμώτερον, οἱ δὲ κινητικὸν καὶ τούτων οἱ μὲν φορτικωτέρας ἔχουσι τὰς κινήσεις οἱ δὲ ἐλευθεριωτέρας.* — A. p. 1459 ^{b} 34 *τὸ ἡρωικὸν στασιμώτατον τῶν μέτρων ἐστίν, τὸ δὲ ἰαμβεῖον καὶ τετράμετρον κινητικὰ καὶ τὸ μὲν ὀρχηστικὸν τὸ δὲ πρακτικόν.* — Pol. Θ 1342 ^{b} 13 *ἡ δωριστὶ (ἁρμονία) στασιμωτάτη.* atque e re erit Byzantini cuiusdam adscribere verba (Cramer Anecd. Oxon. 3 p. 167, 23) praedicantis epistulae

---

tetrameter 155 anders vorgetragen worden wären als die 173. at cur hoc non possit cogitari, ego non video. Choeph. 719 primum coryphaeus, tum omnes recitant anapaestos. quod in anapaestis fit, in trochaeis fieri cur negemus?

[1]) verum praesagisse videtur Christius (Literaturgeschichte [4] p. 210 [6]), at falso stasimo opposuit hyporchema (cf. p. 11).

alicuius *τὸ σῶφρον τοῦ μέλους καὶ τὸ στάσιμον τοῦ ῥυθμοῦ καὶ τὸ εὐπρεπὲς τῆς λέξεως.* hanc igitur esse Aristotelis sententiam pro certo vendito: stasimum est choricum, nec tamen quodvis choricum stasimum ducendum, sed ea tantum quae sedatis incedant numeris, id est quae careant anapaestis vel trochaeis.

sic interpretatus Aristoteles. atque ego rectam eius puto interpretationem. quod enim in communem quam dicunt hominum doctorum opinionem receptum video esse, stasimum esse choricum quod chorus cantet 'cum ad stationes suas pervenerit', id credere non possum, cum quomodo hoc Graecus homo significare potuerit verbo stasimi, nesciam. quo non utitur, nisi ut quietum aliquid esse declaret. Hippocrates enim qui primus hanc adhibuit vocem *στάσιμον* inprimis vocat aquam stagnantem atque pigram (e. g. *περὶ ἀέρων* cap. 7 L. *τῶν ὑδάτων ὅσα μέν ἐστιν ἑλώδεα καὶ στάσιμα καὶ λιμναῖα* . . . cap. 15 *ὁ Φᾶσις στασιμώτατος πάντων τῶν ποταμῶν καὶ ῥέων ἠπιώτατα* cf. Xen. Oec. 20, 11 Arist. Meteor. 2, 353^{b}18 alib. Diog. Apollon. B 5 (Vorsokr. I^2 336) *(ἀὴρ) καὶ θερμότερος καὶ ψυχρότερος καὶ ξηρότερος καὶ ὑγρότερος καὶ στασιμώτερος καὶ ὀξυτέρην κίνησιν ἔχων*), hinc verbo translato naturam hominis vel loci (VIII, 238 L. *αἱ μὲν ψυχραὶ (γυναῖκες)... ῥοώδεες, αἱ δὲ θερμαὶ ... στάσιμοι* VII, 312 *οἱ μὲν τῶν τόπων ῥοώδεις, οἱ δὲ ξηροὶ καὶ στάσιμοι*). qua voce simillime utuntur qui animos (e. g. Plato Pol. VII 539 D *τὰς φύσεις κοσμίους εἶναι καὶ στασίμους* Aristot. *περὶ ἀρ. καὶ κακ.* 1250^a 43 *τὸ ἠρεμαῖον ἐν τῆι ψυχῆι καὶ στάσιμον*) vel modos numerosque dicunt *στασίμους* (cf. exempla p. 9 allata). porro vero sicuti modos ac numeros ita carmina quoque e tranquillis composita numeris, non *τροχεροῖς* vel *ἀναπαιστικοῖς*, Graeci vocaverunt *στάσιμα.* non igitur cantui quem in orchestram introiens cantat chorus, non parodo opposuerunt stasimum qui primi hac usi sunt significatione, sed ipsam tragici carminis naturam designare voluerunt. attamen quodam modo reducimur ad illam sententiam; nam cum ea sit antiquissima parodi forma, quam invenimus in Suppl. Pers. Ag. Alc. Aiace (cf. p. 48 q. s.), ut chorus in orchestram introiens recitet anapaestos carmine lyrico insuper addito, hoc alterum vocatum esse stasimum, non quia cantaretur a choro 'stationem suam assecuto', sed quia adiunctum esset cantico illi 'anapaestico', veri non est dissimile. — verum num reapse vel tragici poetae olim trochaeos recitantem in scaenam induxerint chorum, id quod affirmat scholiastes ad Acharn. 210 *γέγραπται δὲ τὸ*

μέτρον τροχαικὸν πρόσφορον τῆι τῶν διωκόντων σπουδῆι. ταῦτα δὲ ποιεῖν εἰώθασι (!) οἱ τῶν δραμάτων ποιηταὶ κωμικοὶ καὶ τραγικοὶ et q. s., coniectura sola disceptari non potest.

redeamus ad Aristotelem. restat enim quaestio cur parodum designaverit *πρώτην λέξιν χοροῦ,* stasimum *μέλος χοροῦ,* quoniam accepta nostra interpretatione etiam parodus vocanda est ex sententia Aristotelis *μέλος*, sed *μέλος* quod subinde habeat anapaestos vel totum ex eis compositum sit. quodsi Aristotelem ideo usum esse voce *λέξις* ut comprehenderet et anapaestos et lyricos versus vel solos significaret anapaestos, cogitari nequit, non ad numeros designandos sed ad dicendi genus accuratius definiendum hoc verbum eum usurpasse crediderim. quo cum etiam designet cotidianum atque vulgarem sermonem (cf. Rhet. III., 8 1406ᵇ 32 *ὁ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν* A. p. c. 22 *ἐν τοῖς ἰαμβείοις διὰ τὸ ὅτι μάλιστα λέξιν μιμεῖσθαι ταῦτα ἁρμόττει τῶν ὀνομάτων, ὅσοις κἂν ἐν* [*ὅσοις* Ald.] *λόγοις τις χρήσαιτο*) vel dialogum histrionum (A. p. 4 *τὸ μὲν πρῶτον τετραμέτρωι ἐχρῶντο, λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε, μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν*), parodum quae haud raro simplicissima est *ῥῆσις* coryphaei, veluti in Suppl. Pers. Aesch., Hec. Eur., vel dialogus inter histrionem atque coryphaeum (vel chorum), hac de causa *λέξιν* vocatam esse ab Aristotele concedo Detscheffio (p. 21).

haec si vere disputata sunt, principalem assecuti sumus verbi stasimi significationem; errores autem grammaticorum Graecorum castigare vel omnino conscribere atque componere nil attinet. quos constat falso interpretatos vocem stasimi, qua carmen quod chorus cantaret stans in orchestra non saltans significari coniciebant, seiunxisse *στάσιμα* atque *ὑπορχήματα.* huius doctrinae cuius nonnulla exempla congessit Detscheffius p. 28/29, quis auctor sit, nondum videtur esse quaesitum, id quod ego quidem quaerere desii; rectissime enim scripsit Wilamowitzius Her.[1] 76[38]: von dem was die modernen (velut Muff., Arnoldt., sed etiam Christ., Gleditsch.) hyporchema nennen und z. B. in den tragikern so bezeichnen, ist nichts weder überliefert noch an sich berechtigt. omnia enim quae legimus *στάσιμα* vocanda sunt *ὑπορχήματα.*

nos vero in choricorum formam atque compositionem inquisituri stasimum dicimus, Aristotelem secuti, carmen a tragico choro solo (non ab histrionibus et choro) cantatum quod ex lyricis compositum est versibus, neque separamus a 'stasimis' parodos lyricas, ipsas quoque *στάσιμα μέλη*

secundum Aristotelem. at minima illa sententiisque instructa vilibus quae chorica episodica vocare consuevimus quaeque ipsius actionis fabulae partes ducendae sunt velut Eur. Suppl. 918 Hipp. 961 Trach. 205 (Choeph. 153), ne conferantur cum maioribus illis quibus tragoedia in certos quosdam disponitur actus, definitio illa sic supplenda est: stasimum vocamus choricum lyricum quo vel inchoatur fabula vel seiunguntur histrionum episodia.

---

hactenus de stasimo. stropha autem quid sit, paulo difficilius videtur esse ad explicandum.

de qua quae sit communis illa opinio his duabus ex sententiis intellegitur. Christius (p. 617) sic scripsit: „auf eine orchestrische bedeutung... weist die alte verbindung von *στροφή* und *ἀντιστροφή* (qua de forma vid. p. 19) hin, von welchen wörtern das eine die 'kehr', das andere die 'gegenkehr' bedeutete". cui astipulatur Kaibelius (Elektr. p. 287): „die strophische responsion der chorlieder... beruht..., wie der name *στροφή* sagt, auf der wiederholung gewisser tanzbewegungen". — at quid hoc significet 'kehr', quid 'gegenkehr', me quidem nondum intellexisse libere fateor. convertunturne choreutae cantantes stropham ad scaenam? num iterum convertuntur a scaena ad theatrum recitantes 'antistropham'? aliud enim inesse in verbis illis 'kehr' atque 'gegenkehr' ego negaverim. — itaque haec cum parum videantur esse perspicua, quid sit traditum, quaerendum est. at traditum nihil est. namque quae proferunt grammatici Graeci, chorum recitantem stropham ad dextram, antistrophum ad sinistram se vertisse, haec non posita esse in testimoniis scriptorum qui ipsi chorum tragicum saltantem conspexerunt, sed vocum illarum interpretatione effecta esse ab ipsis illis grammaticis, nemo negabit qui Crusi legerit commentationem quam inscripsit 'Stesichorus und die epodische komposition' (Comment. Ribbekian. p. 9), quamquam an recte Claudium Ptolemaeum, Pythagoreum mihi quidem carissimum, huius doctrinae auctorem ducat dubitari potest[1]). sed cum ne Crusius quidem acu rem tetigisse videatur qui '*στροφήν*', idem fere ac '*τρόπον*', significare putat modos vel cantilenam, nobis ipsis num quid effici possit vel interpreta-

[1]) olim conieci Didymum hoc ementitum esse (quae Schmidti (Didym. p. 396) fuerat sententia) qui in libro quem scripsit *περὶ λυρικῶν ποιητῶν* etymologias dedit vocum: *ἔλεγος, ὕμνος, προσωιδίαι, παιᾶνες* al. (Schmidt. p. 387 q. s.).

tione vel coniectura, experiendum est. — exordimur interrogantes quid antiquis temporibus significet verbum *στρέφειν*.

quo inde ab Homeri aetate utuntur Graeci cum exprimendum est 'cursum alicuius deflectere' vel 'aliquid convertere' ita ut *στρέφομαι* idem sit ac 'converto me'. sic Homerus inprimis aurigam dicit *στρέφειν ἵππους* id est equos flectere, ut certum quendam adipiscantur locum (*ο* 205, *N* 396 = *Υ* 488, *Ψ* 323 cf. *Ω* 5), vel etiam convertere (*Θ* 168 *ἵππους τε στρέψαι καὶ ἐναντίβιον μαχέσασθαι*), id quod accuratius significatur verbis *ὑποστρέφειν ἵππους* (e. g. *E* 581). *στρέφεσθαι* converti legitur e. g. *M* 41 *ἐν κύνεσσι . . . κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων*, quocum conferas *E* 40 *Π* 308 *Σ* 139 al. — de equi cursu deflectendo etiam posterioribus temporibus dici *στρέφειν* et *στρέφεσθαι* ostendit ipse Crusius (p. 19). igitur *στροφή* est conversio, *στροφὴν ποιεῖν* idem ac *στρέφεσθαι*, atque id quidem saltantis esse per se patet. sed ex huius sermonis exemplis quae pauca exstare videntur hoc ipsum liquido comparet fieri non potuisse ut vocibus stropha atque 'antistropha' primum saltandi figurae, deinde canticorum partes significarentur. nam quod Acharnensium chorus saltans in orchestra Dicaeopoli iubenti (345)

τοὺς λίθους νύν μοι χαμᾶζε πρῶτον ἐξεράσατε

respondet *κατάθου τὸ βέλος*

ὡς ὅδε γε σειστὸς ἅμα τῆι στροφῆι γίγνεται,

sicut Plauti Stichus gloriatur (770)

si istoc me vorsu viceris, alio me provocato,

atque Plato Euthydem. 276 D proborum saltatorum describit artes verbis illis *ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ ὀρχησταί, διπλᾶ ἔστρεφε τὰ ἐρωτήματα*, de singulis gyris quos saltantes efficiunt hoc dici bonumque esse saltatorem qui bis possit se convertere eodem permanens loco, apertum est. at quomodo longam cantilenam stropham nominare potuerint, cum tales *στροφαί* permultae perficiendae essent, quidque sit 'antistropha', hac quidem interpretandi via ostendi nequit.

in viam veram nos inducunt nonnulli comicorum versus, iam allati a Crusio sed parum recte nisi fallor explanati.

Aristophanes Thesm. 68 Agathonis servum haec induxit loquentem:

(Ἀγάθων) ἔξεισιν τάχα.
καὶ γὰρ μελοποιεῖν ἄρχεται· χειμῶνος οὖν
ὄντος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥάιδιον
ἢν μὴ ποιῆι θύρασι πρὸς τὸν ἥλιον,

quibus cum versibus conferendi sunt illi Chironis comoediae, falso Pherecrati adscriptae (fr. 145 K), quibus ita lamentatur Poesis:

Κινησίας δέ μ' ὁ κατάρατος Ἀττικὸς
ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς
ἀπολώλεχ' οὕτως ὥστε τῆς ποιήσεως
τῶν διθυράμβων καθάπερ ἐν ταῖς ἀσπίσιν
ἀριστέρ' αὐτοῦ φαίνεται τὰ δεξιά.
Φρῦνις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα
κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν
ἐν ἑπτὰ χορδαῖς δώδεχ' ἁρμονίας ἔχων.

Aristophanem de Agathonis arte componendi verba facientem quod adhibet vocem *στροφήν*, non de carminibus loqui strophice compositis in aperto est; nam ut id neglegamus quod Agathonem *ἀπολελυμένα*, non strophica carmina pepigisse constat, id ipsum quod his versibus indicitur canticum, *μυρμήκων* illi *ἀτραποί* v. 101—129 ab ipso poeta choroque Musarum recitati, quin *ἀπολελυμένον* sit, dubium non est. itaque Crusius, qui *στροφάς* Germanice putabat esse 'musikalische sätze', strophas flexisse Agathonem dici affirmavit, quia strophas diversissimo modo cantandas alteram alteri subiungere solitus esset. quod si verum esset, parum diligenter scripsisset Aristophanes, neque enim *ἡ στροφὴ κάμπτεται*, non 'circuitus modorum flectitur', sed cantus ipse, sicuti idem dithyramborum poetas Nub. 333 appellat

κυκλίων χορῶν ᾀσματοκάμπτας.

eandem vero significationem subesse ducit alteri loco quem vertit: Cinesias wandte fremdartige modulationen in seinen sätzen an, ne hoc quidem recte, nam quoniam pergit Poesis

Φρῦνις . . . κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν,

ita ut verba *στρέφειν* et *κάμπτειν* quasi synonyma ducenda sint, priore quoque loco vocibus *καμπή* atque *στροφή* idem significari necesse est: itaque non cantilena quaedam est *στροφή* in qua *καμπάς* fecit poeta, sed ut Graece dicam quod Latine vel Germanice exprimi vix potest: *ὁ Φρῦνις ἐν τῶι στρέφειν ἐξαρμονίους καμπὰς ἐποίησεν.*

at quid sibi vult *κάμπτειν* atque *καμπὰς ποιεῖν*? Phrynim, Cinesiam, Agathonem audimus 'flexisse' cantum, quorum primus nomorum, alter dithyramborum, tertius tragoediarum poeta est. proprium vero hoc artificium fuisse Aristophaneae aetatis musicorum etiam clarius elucebit his testimoniis additis:

Nub. 970

εἰ δέ τις αὐτῶν... κάμψειέν τινα καμπὴν

οἵας οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρῦνιν ταύτας τὰς δυσκολοκάμπτους

ad quae adnotat scholiastes: *ἐκαινούργησε κατακλάσας τὴν ᾠδὴν παρὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶ καὶ Φερεκράτης* (Burges.: *Ἀριστοκράτης*).

Timothei fragm. 27 Wil.

νικᾶι Τιμόθεος τὸν Κάμωνος (i. e. *Φρῦνιν*) *τὸν Ἰωνοκάμπταν.*

quid Phrynis, nomorum poeta, invenerit, notum est ex Procli illo testimonio (Chrestom. 320ᵃ cf. Wil. Timoth. p. 95): *ἐκαινοτόμησε αὐτὸν* (sc. *τὸν νόμον*) *τό τε γὰρ ἑξάμετρον τῶι λελυμένωι συνῆψε.* dithyramborum autem poetas ipsis his Phrynidis temporibus, vel etiam ante Phrynim, stropharum responsionem sustulisse Aristoteles tradit cum Melanippidem *ἀπολελυμένων* vocat inventorem (Rhet. III, 9): *καμπάς* illas his *ἀπολελυμένοις* proprias fuisse non negabis, cum audiveris gravissima illa Problematum Aristoteleorum verba (Problem. XIX, 15): *διὰ τί οἱ νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο; ἢ ὅτι οἱ... νόμοι ἀγωνιστῶν ἦσαν, ὧν... ἡ ᾠδὴ ἐγένετο μακρὰ καὶ πολυειδής... τὰ μέλη... τῆι μιμήσει ἠκολούθει, ἀεὶ ἕτερα γενόμενα, διὸ καὶ οἱ διθύραμβοι ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο* (i. e. inde a Melanippidis aetate) *οὐκ ἔτι ἔχουσι ἀντιστρόφους... αἴτιον δὲ ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοί. πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν χαλεπὸν ἦν, ὥστε ἐναρμόνια μᾶλλον μέλη ἐνῆιδον, μεταβάλλειν γὰρ πολλὰς μεταβολὰς τῶι ἑνὶ ῥᾶιον ἢ τοῖς πολλοῖς...* — atque haec Dionysi Halic. (de comp. verb. 156) *οἱ διθυραμβοποιοὶ καὶ τοὺς τρόπους μετέβαλον Δωρίους τε καὶ Φρυγίους καὶ Λυδίους ἐν τῶι αὐτῶι ᾄσματι ποιοῦντες καὶ τὰς μελωιδίας ἐξήλλατον τότε μὲν ἐναρμονίους ποιοῦντες, τότε δὲ χρωματικούς, τότε δὲ διατόνους καὶ τοῖς ῥυθμοῖς κατὰ πολλὴν ἄδειαν ἐνεξουσιάζοντες διετέλουν... ἐπεὶ παρά γε τοῖς ἀγχαίοις τεταγμένος ἦν καὶ ὁ διθύραμβος* (i. e. ante Melanippidem). hinc patet Aristophaneae aetatis Graecos, ut novas illas atque inauditas poetarum nomicorum et dithyrambicorum significarent artes, qui pro canticis strophice compositis *ἀπολελυμένοις* illis inventis modos numerosque eodem in cantu saepe permutabant, verbo usos esse *κάμπτειν*, *καμπήν* esse flexum cantus qualis illis *ᾀσματοκάμπταις* in deliciis erat. ilico vero id quoque apparet *κάμπτειν* (flectere) fortius quodammodo atque gravius dictum esse pro

στρέφειν (vertere), στροφήν esse conversionem cantus sicut καμπήν flexum, verba graviora κάμπτειν, καμπαί invicem successisse verbis στρέφειν, στροφαί, aptiora existimata ad artem illam audaciorem significandam. atque haec duo verba sicut Pherecrates q. f. coniunxit (κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν), ita in versu illo Thesmophor. quoque κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥάιδιον ad amplificandam elocutionem copulata esse ratus vertendum puto esse: non ita facile versuras illas (τὰς) flectere quibus insignia sunt dithyramborum carmina. quod si verum est, figurae illae etymologicae quas vocamus καμπὴν κάμπτειν (cf. Aristoph. verba κάμπτειν τινὰ καμπήν, οἵαν οἱ νῦν ...) et στροφὴν στρέφειν (cf. e. g. Plat. Polit. III 405 C πάσας στροφὰς στρέφεσθαι Tim. 43 D πάσας στροφὰς στρέφειν) quasi in unam constrictae sunt: στροφὴν κατακάμπτειν. atque etiam altero illo loco

ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς

si quidem ipse poeta verbis κάμπτειν et στρέφειν idem significat versu paenultimo, stropham esse versuram nunc pro certo affirmo. — hoc fere Pherecrati illi in animo erat proferre: Cinesias exharmonios flexus faciebat cum versuras suas vertebat, nam strophae sane cuivis musico perficiendae erant, Cinesias autem cum non μέλη ἐναρμόνια (cf. Arist. l. l.) componeret sed in quibus harmonia illa dissolveretur, ἔστρεψε καμπὰς ἐξαρμονίους i. e. οὐ μόνον ἔστρεψεν ἀλλὰ καὶ ἔκαμψε τὸ ᾆσμα. atque huius dicendi rationis unum saltem investigavi exemplum (apud Crus. p. 19[2]): Xenoph. de re equ. VII, 23, 15 equitem admonet δεῖ ὑπολαμβάνειν ἐν ταῖς στροφαῖς, οὐ γὰρ ῥάιδιον τῶι ἵππωι κάμπτειν ἐν μικρῶι.

igitur stropha ipsa non erat μέλος vel τρόπος, non pars aliqua cantici maioris, sed locus ille quo vertebatur cantus. atque in carminibus strophice compositis ii loci vocari poterant στροφαί quibus poeta vel cantor a fine cantilenae ad eiusdem redibat initium. — eodem verbo quo modo partes ipsae significari potuerint, quae 'strophis' illis efficiebantur, quaerere restat.

at hoc priusquam adeamus, quanam via eo pervenerint Graeci ut eum qui eundem saepius repeteret cantum 'vertere' dicerent cantum, exponendum videtur. vidimus στρέφειν et κάμπτειν de equo dici vertendo vel convertendo: sed ego quidem multo verisimilius duco non de equitando sed de arando hoc verbum esse translatum. primum enim constat antiquissimis temporibus Graecos scripsisse βουστροφηδόν, quam

vocem explicat Hesychius sic (s. v.): *οὕτω ἔλεγον ἐπὰν ὁμοίως τοῖς ἀροτριῶσι βουσὶ τὰς ἀντιστροφὰς ποιῇ τις· ἔλεγον δὲ ἐπὶ τοῦ γράφειν τρόπωι τοιούτωι* (cf. Pausanias V, 17. 6). confirmatur autem haec interpretatio recentissima antiquissimi poetae descriptione arandi; Homerus enim Σ 544 de aratoribus haec dicit:

οἱ δ' ὁπότε στρέψαντες ἱκοίατο τέλσον ἀρούρης,
τοῖσι δ' ἔπειτ' ἐν χερσὶ δέπας μελιηδέος οἴνου
δόσκεν ἀνὴρ ἐπιών· τοὶ δὲ στρέψασκον ἀν' ὄγμους
ἱέμενοι νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι.

stropha igitur fit et cum arator in fine sulci vertit boves et cum scriba vel cantor a fine versus vel cantus ad insequentis transit principium.

huius autem significationis memoriam non plane interisse apud Graecos nescio an ex hac concludi possit Hesychi definitione (s. v.):

στροφαὶ αἱ καταδιαιρέσεις τῶν μελῶν,

quem, cum voce *καταδιαίρεσις* non possit designari systema aliquod versuum, illos ipsos inter strophas et antistrophos locos intellexisse crediderim, quos olim vocabant Graeci *στροφάς*. sed Terentianus Maurus (Ars metr. 2707, Grammat. Latin. VI, 405 K) hanc etymologiam cum profert

hanc docti tetracolon vocitant strophen,
nam post quattuor hos altera vertitur
ad legem similem consimilis strophe,

utrum Graecis grammaticis debeat necne, diudicare nequeo. verum hoc certum est versum Latinorum nihil habere commune cum 'stropha' Graecorum. versus enim est sulcus (cf. Colum. 2, 2, 25 Plin. XVIII, 49, 1), sive derivatum est verbum a verro (Walde Etym. Wörterbuch s. v. versus), sive quod verisimilius existimo a verto (Georges. alii): nam agricolam aratro terram vertere et agri culturae scriptores affirmant (e. g. Colum. IV, 5: vertere solum bidentibus) et Augusteae aetatis poetae (e. g. Horat. Sat. I, 1, 28: ille gravem duro terram qui vertit aratro). 'stropham' autem boum et aratri Romani non appellant 'versum' sed 'versuram' (cf. Colum. II, 2, 28: cum ventum erit ad versuram. Pallad. 2, 3). — itaque eo tantum similia sunt verba illa, quod sicut Graeci *στρέφοντα* dicebant qui in scribendo novam adibat lineam, ita Romani scribere ipsum cum arando conferentes litterarum quandam seriem 'versum' appellaverunt. —

„στροφή“, scripserat Christius, „bedeutet kehr, *ἀντιστροφή* gegenkehr“. at contra Graecos habuisse etiam vocem *ἀντίστροφον* certum est. hae formae quomodo sunt explicandae?

primus quoad video antistrophi verbum usurpat ut systema significet versuum Aristoteles:

Rhet. III, 9. *τὴν λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ τῶι συνδέσμωι μίαν ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαὶ ἢ κατεστραμμένην καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις.*

ib. (1409 [b] 25): *ἔσκωψε Δημόκριτος ὁ Χῖος εἰς Μελανιππίδην ποιήσαντα ἀντὶ τῶν ἀντιστρόφων ἀναβολάς.*

Probl. XIX, 15: *οἱ διθύραμβοι οὐκέτι ἔχουσι ἀντιστρόφους ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, πρότερον δὲ εἶχον.*

ib. : *οἱ νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο.*

ib. : *ἡ ἀντίστροφος ἁπλοῦν, ἀριθμὸς γάρ ἐστι καὶ τῶι ἑνὶ μετρεῖται.*

adiectiva forma legitur

Probl. XXX, 15: *τὰ ἀπὸ σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τὰ δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα.*

his exemplis ostenditur alia ratione Aristotelem uti voce antistrophi alia nos; non enim antistrophis cantum compositum esse dicere solemus, sed strophis; dithyrambicos poetas non pro antistrophis anabolas pepigisse, sed pro strophis. nos igitur strophae voce partem significamus carminis cui respondeat altera, Aristoteli ut hoc significaret usurpandum erat non verbum strophae, sed antistrophi: itaque illud tum temporis nondum habebat quam nunc habet significationem latiorem. —

effecimus adhuc haec:

1. *στροφή* est locus, quo flectitur cantus,
2. aetate Aristotelea carmen strophice compositum *ᾆσμα* est *ἐν ἀντιστρόφοις*, *ἀντίστροφος* pars est carminis ad alteram respondens.

at quomodo a stropha illa venimus ad antistrophum? — haec dum cogito nimisque artificiosa coniectura usus a via vera deflexurus sum, aberrantem revocavit Dielesius. in propatulo enim est Graecos pro cantus versura numerorum modorumque systema, quo cantato animadverteretur versura illa, vocasse *στροφήν*, omnia autem systemata cantus strophici *ἀντιστρόφους*, quoniam *ἀντίστροφον* id est quod *στροφῆι*, modorum versura, opponitur systemati alteri, eadem fere vi atque *ἀντεστραμμένον* (cf. Aristot. histor. an. 2, 1 *ἔχουσι τὰ κοῖλα τῆς περιφερείας πρὸς ἄλληλα*

ἀντεστραμμένα Polyb. VI, 32, 6 *δύο στρατιὰς ἀντεστραμμένας αὐταῖς* cf. *κατεστραμμένος* Aristot. Rhet. III, 9 (cf. p. 18). itaque Sapphus, Alcaei, Anacreontis carmina erant *ἐν ἀντιστρόφοις* sc. *στροφαῖς*. sed cum epodica quae vocamus cantica componere cœpissent, in quibus duae tantum cantabantur 'antistrophi' epodis aliis instructis numeris stropharum paribus singulis insuper additis, cumque tragici comicique poetae ipsi quoque binas tantum respondere vellent strophas, tum demum ni fallor *ἀντίστροφος* altera sola pars vocata est ita ut sibi responderent *ἡ στροφή* et *ἡ ἀντίστροφος*. quam cur non *ἀντιστροφήν* nominaverint, inde intellegitur, quod *ἡ ἀντιστροφή* est ipsa illa actio convertendi[1]), *ἡ ἀντίστροφος* quod actione convertendi effectum est, sic uti voce *παραγραφή* primitus significatur *τὸ παραγράφειν*, voce *ἡ παράγραφος τὸ παραγεγραμμένον*.

hoc vero modo cum opposita essent stropha et antistrophus quod posterioribus temporibus pro *ἀντίστροφος* per analogiam suppositum est verbum *ἡ ἀντιστροφή*, mirum non est. notandum autem vocem *ἀντιστροφήν* hac quidem significatione praeditam non inveniri ante Byzantinae aetatis scriptores apud Graecos, veluti Tzetzes utitur et verbo *ἀντίστροφος* (cf. e. g. Kaibel. p. 41, v. 29) et *ἀντιστροφή* (e. g. p. 41, 49), apud Latinos non ante Marium Victorinum (cf. Gramm. Lat. VI p. 59 K. ter antistrophus; p. 52, 17. 58, 5. 259, 3 antistrophe vel *ἀντιστροφή*[2])).

---

cum paucis fieri possit vel de epodi verbo hic agamus. atque Hephaestionem distinguere *τὸν ἐπῳδόν* et *τὴν ἐπῳδόν* notum est: ille est versus quo Aeolici Ionicique poetae claudere solent strophas veluti adoneus Sapphus, versus 'qui in fine cantus additur', haec pars tertia stropharum triadis quales occidentalis Graeciae poetae componebant. qui cum haberent *τὴν στροφὴν* atque *τὴν ἀντίστροφον*, addiderunt *τὴν ἐπῳδόν*. sed substantivum aliquod, veluti *ᾠδήν* vel *περίοδον*, eos

---

[1]) *ἀντιστροφή* apud Aristotelem apud quem primum vox exstare videtur est notiorum conversio quae adhibetur in conclusionibus (cf. e. g. Analyt. prior. A α 3 25^a 40 = *μεταλλαγὴ τῶν τῆς προτάσεως ὅρων* Bonitz. ibid. 38^a 3 = conversio *ἐκ καταφάσεως εἰς ἀπόφασιν καὶ ἀνάπαλιν* Bonitz.).

[2]) ceterum adnoto demonstrari posse veteres quidem Graecos eas comœdiae partes quae antecedunt epirrhemata vocasse non *ᾠδήν* atque *ἀντῳδήν*, sed *στροφήν* atque *ἀντίστροφον*.

quoque mente supplevisse sicut Aeolici suppleverunt *στίχον*, quoniam his quidem temporibus ne antistrophi quidem verbum existimatum videtur esse nomen adiectivum, ego negaverim. atque sic uti *ἡ ἀντίστροφος* est = *τὸ ἀντεστραμμένον*, *ἡ ἀντιστροφή* = *τὸ ἀντιστρέφειν*, ita *ἡ ἐπῳδός* = *τὸ ἐπαιδόμενον*, *ἡ ἐπῳδή* (secundum Dielesium) primitus = *τὸ ἐπάιδειν*. sic factum est ut significet incantationem.

denique a grammaticis Graecis posterioris demum aetatis carmen quod continet versus *ἐπῳδούς* veluti Horati iambi 'epodos' (cf. Kießling. ad Hor. carm. I p. 342 adn.), a nobis 'die epode' (cf. 'die ode') vocatum est.

In formam stasimorum Graecorum inquisiturus olim hoc potissimum proposui animo ut detegerem structuram stropharum, discriberem stropharum numeros, discriptos ratione ac via disponerem, dispositos iterum componens historiam conscriberem artis metricae Aeschyleae, Sophocleae, Euripideae. at hoc ut perfecerim multum abest neque omnino tempus esse duco proferre studia metrica nunc, cum ne de uno quidem metro lyricae poesi proprio congruunt inter se docti qui dicuntur homines. itaque formas illas quibus et ipsos numeros et sententias quasi infudere poetae, strophas dico carminum, accurate describere nunc quidem accommodatius videtur esse. verum antequam de strophis ipsis agere liceat, pauca mihi exponenda videntur esse de stasimis non strophice compositis.

I.

De stasimis non strophice compositis.[1])

Euripides ut disponeret actionem fabulae, solus interdum usus videtur esse stasimis singulis tantum constantibus ‘strophis’. quae cur compegerit, duae excogitari possunt causae: aut *ἀπολελυμένοις* illis carminibus a dithyramborum poetis Euripideae demum aetatis inventis, quorum vestigia saepe eum consecutum esse constat (cf. p. 48), haec stasima similia esse voluit aut his quidem actionis locis eosdem iterum cantari modos parum duxit aptum. consideremus necesse est cantica ipsa quae esse stasima inde sequitur quod seiungunt histrionum episodia.

strophas non exhibent haec:

1. Hipp. 1268 post ab(itum) nuntii, ante intr(oitum) Dianae. dochmii (*δ*) enhopl(iaci).

---

[1]) Sachsi de astrophis dissertatione (Berol. 1909) in primis de re metrica agitur: nos in formam sententiasque astrophorum inquisituri sumus.

2. Hec. 1023 post ab. Hecubae Polymestorisque, ante intr. eorundem i(ambi) δ. 2 systemata: 1024—30: 3 i, 5 × 2 δ[1]); 1031—33 : 3 i, 2 × 2 δ.

3. Herc. 875 post ab. Lyssae Iridisque, ante intr. nuntii. δi. 3 systemata: 875—79 : 4 × 2 δ + clausula; 80—84 : 3 i, 4 × 2 δ; 85—86: 2 × 2 δ.

4. —1016 post ab. nuntii, ante intr. Amphitryonis. δi. 3 systemata 1016—20 : 2 × 2 δ + 2 i[2]); 21—24 : 7 δ; 25—27 : 2 bacchei + 3δ.

5. Jon. 1229 post ab. nuntii, ante intr. Creusae. 15 'dimetri choriambici'[3]).

6. Orest. 1353 post ab. Hermionae et Electrae, ante intr. Phrygis.

7. Orest. 1537 post ab. Phrygis et Orestis, ante intr. Menelai. — haec duo Orestis fabulae cantica quin respondeant inter se cum dubitari nequeat, hoc solo loco non stropham stasimi strophae subsequenti sed stasimum stasimo, quae ipsa non strophice composita sint, respondere notandum est[4]). sed qui versus choro qui tribuendi sint coryphaeo, nondum quaesitum esse videtur. atque in 'antistropho' (1537) primo altercantur hemichoria vel potius hemichoriorum duces (1537—44), quae sequuntur (1545—49) totius esse posse chori sensus arguit. conspirat carmen prius ut in quo coryphaeo chorum ad canendum cohortato (1353—60, ἰὼ φίλαι κτύπον ἐγείρετε) is ipse habeat cantiunculam (1361—65). schema igitur subest hoc:

stas. I		stas. II.
1. 1353—60 coryph.	5 δ	1537—44 duces hemichor.
	2 × 3 i	
	4 δ	
	2 × 3 i	
2. 1361—65 chorus[5])	num. incert.	1545—49 chorus

---

[1]) v. 1030 misere corruptus cum tale quid expectes: [ὀλέθριον] ὀλέθριον κακόν ⟨σ' ἐπιμένει, τάλας⟩.

[2]) quot δ insequantur, incertum. ante τάλανι (1020) lacunam statuit Wil., fortasse ὑπερέβαλε et παρέδραμε varia orta sunt lectione. altero sublato habes δ + 2 i, 2 δ.

[3]) de anapaestis qui hanc excipiunt stropham vide p. 66[1].

[4]) similiter in Hippolyt. (669) Phaedrae monodia chori stropham vers. c. 300 antea cantatam iterari monet me Wilamowitzius.

[5]) coryphaei trimetris qui sequuntur respondere quodammodo conicias tetrametros 1549 q. s.: at illos interpolatos esse testantur scholia.

8. Bacch. 1153 post ab. nuntii, ante intr. Agavae δ enhopl [1]).

carmen Trach. 205 quamvis Lichae antecedat introitui, cum non distribuat actionem sed ipsum actionis pars sit, stasimis adnumerandum esse Detscheffio (137) concedere nequeo [2]). Deianiram enim poeta, quo clarius ostendat quanto gaudio impleta sit nuntio Herculis redituri accepto, non solam ipsam gratias agentem facit Iovi sed etiam servos servasque exhortantem ut laudes gratiasque per cantum agant dis (200). haec igitur non minus arte coniuncta est gratulatio cum ipsa actione quam precationes Choephoron in Choeph. (152), venatorum in Hipp. (61), Electrae amicarum post adventum Orestis (Eur. El. 585) quas ne Detsch. quidem pro stasimis habet.

numeros si inspexeris stasimorum non strophice compositorum primum id tibi apparebit perexigua ea esse deinde dochmios in primis levasse poetam vinculis stropharum: septem enim dochmiaca, unum glyconeum repperimus cantica; quibus autem locis fabularum collocata sint, si deliberaveris, septies ea invenies ante catastropham vel exodum tragœdiae: Herc. 875 ante catastr. (Lyssa mentem Herculis in ara domus sacra facientis alienat, ita ut ipse obtruncet uxorem liberosque), Hipp. 1268 (post nuntii narrationem) Hec. 1023 Herc. 1016 (post n. n.) Ion 1229 (post n. n.) ante exodum tragœdiae. atque his quidem locis hisque affectibus brevissima carmina chori tamque brevia ut ne strophis quidem disposita sint cur apta duxerit Euripides, ultro apparet: noluit poeta vere tragicus audientium animis summam in exspectationem adductis eorum quae diu vel sperant vel pertimescunt grandis chorici imponere onus. atque ita factum est ut ter astrophum recitetur stasimum dum extra

---

[1]) Detsch. (65) in enumerando stasima strophis carentia praeteriit Herc. 875 Bacch. 1153. idem Orest. stas. 1353, 1537 strophis composita esse notat (148).

[2]) idem Detsch. hoc in 'stasimo' strophas inesse existimare videtur (137). — ceterum v. Trach. 205—15 sunt (veluti Christ. 665, Jebb.) qui coryphaeo attribuant exhortanti, ut aiunt, choreutas (211 παιᾶν᾽ ἀνάγετ᾽ ὦ παρθένοι) ad cantandum (216—25); nec tamen oboediret chorus coryphaeo qui sic pergeret: βοᾶτε Ἄρτεμιν γείτονάς τε Νύμφας, chorus enim non βοᾶι Ἄρτεμιν, non βοᾶι Νύμφας sed Bacchi in honorem saltat cantatque. recte versus interpretatus est unus Wilamowitzius (apud Sachsium p. 35). imperavit Deianira v. 202 φωνήσατ᾽ ὦ γυναῖκες αἵ τ᾽ ἔσω στέγης αἵ τ᾽ ἐκτὸς αὐλῆς. repetit chorus: vos domi cantate pueri (ὁ μελλόνυμφος), viri, virgines, ego in orchestra Bacchum praedico (216—21). tum Lichae renuntians adventum chorus totus pro coryphaeo audientium animos vertit in ea quae in scaena aguntur similiter ac v. 962 (cf. p. 50 adn.).

scaenam agitur quod ad actionem gravissimum est; namque Hec. 1023 chorus dochmios habet, dum Polymestor tentorium Troadum ingressus obcaecatur ab Hecuba, Herc. 875 dum Hercules mente privatus trucidat Megaram filiosque, Or. 1353 dum Hermiona ab Electra in regiam introducta capitur ab Oreste et Pylade.

accedit vero quod quinque locis astrophum excipit vel monodia vel commus: Hec. 1059 monodia Polymestoris, Or. 1369 monodia Phrygis, qua dithyramborum nomorumque artes expressit Euripides (cf. Wil. Timotheos p. 100 q. s.); Herc. 875. 1016 Bacch. 1153 commus. itaque choricum quasi prooemium est maioris cantus quo praeter chorum histriones participavit poeta. monodias vero commosque posterioribus tragœdiae aetatibus stasimis suppositos esse inter omnes constat (cf. e. g. Detsch. p. 60).[1] astropha igitur stasima poeta componebat cum minima chorica aut requirebantur ipsa actione aut certe apta videbantur, quia magna alterius generis subsequebantur carmina.

at num solus Euripides ausus est compingere stasima astropha? immo, ducem habuit Aeschylum ut qui tribus Orestiae locis ut pausas expleret ob speciem rei factae necessarias, minimas quidem si ad tempus spectas, non stasimis usus sit sed anapaesticis illis systematis a toto choro recitatis (cf. p. 7 q. s.).

1. Ag. 1330 post ab. Cassandrae, ante intr. Clytaemestrae. — Agamemno domi necatur.

2. Choeph. 722. post ab. Clytaemestrae et Orestis, ante intr. Cilissae. — nuntius ab Oreste allatus ad servas pervenit.

3. — 855 post ab. Aegisthi, ante intr. servi. — Aegisthus domi necatur.

atque idem artificium quod quater repperimus apud Euripidem bis exstare apud Aeschylum summi duco esse momenti. namque dum spectatores caedem fieri sentiunt extra scaenam, parvulum cantatur vel recitatur carmen, anapaesticum in Aeschyleis, dochmiacum in Euripideis, astrophum in utriusque poetae fabulis. successerunt igitur in locum ana-

---

[1]) ceterum notandum hoc poetae artificio esse effectum ut Orestes, acta 408, duo tantum praebeat stasima proprie dicta (316. 807) at Euripidem superavit Sophocles: Philoctetes, quam 409 actam esse scimus, unum exhibet. adeo imminui poterant partes chori!

paestorum dochmii, sed ars ipsa Aeschyli est[1]. cuius vestigia se pressisse ipse Euripides profitetur. exstat enim, uti diximus, in antiquiore eius fabula unum systema anapaesticum stasimi loco positum:

Med. 1081 post ab. (paedagogi et) liberorum Medeae, ante intr. nuntii. — Creontis filia domi emoritur.

quae scaena idcirco prorsus similis illarum, quia in hac quoque qui audiunt, cum iam v. 1003 reginam accepisse compererint perniciosa Medeae dona, suspensis exspectant animis quid interea in regia actum sit. — Aeschyli igitur recepta arte primo ipse quoque anapaestica, postea dochmiaca composuit astropha.

restat quaerere num casui dandum sit quod apud Sophoclem non reperiuntur stasima strophis non distenta: at haec in posterum differenda est quaestio (cf. p. 44).

II.

De stasimis strophicis.

Progredimur ad stasima, quae alternis cantantur strophis, propria tragœdiae Graecae. voluerunt enim soli poetae tragici et qui semper fere hos sequebantur comici carminum strophas ita se excipere ut eodem numerorum modorumque ordine bis posito novum insequeretur stropharum par novis numeris novisque instructum modis. quae componendi ratio quae schemate significanda est aa, bb, cc .... aliunde nota non est, siquidem Aeolici Ionicique poetae semper quoad scimus schemate usi sunt a, a, a, lyrici vero Graeciae occidentalis cum illo simplicissimo omnium, tum eo quod natum esse ex illo constat, triade stropharum identidem repetita (aab, aab)[2]; unde autem orta sit, adhuc nescitur. etenim quod Alcmanem pepigisse tradit Hephaestio[3] carmina ita bipertita ut septenas strophas a subsequerentur septenae b, huc non facere manifestum est neque ea quam

---

[1]) Detsch. (63) Choeph. 722—29, 855—68 quos coryphaeo tribuit (vers. Ag. 1330 q. s. omnino neglectis) poetam composuisse existimat quia plus quattuor chorica ad dividendam fabulam adhibere noluerit. at quid eum impediverit ne quinque componeret nisi ipsius fabulae actio?

[2]) cf. p 45.

[3]) *περὶ σημ.* 74, 17 Consbr. *ἔγραψε γὰρ ἐκεῖνος δεκατεσσάρων στροφῶν ᾄσματα ⟨ὧν* Bergk⟩ *τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ αὐτοῦ μέτρου ἐποίησεν ἑπτάστροφον, τὸ δὲ ἥμισυ ἑτέρου.*

affert Herm. El. 674 satis plena videtur esse ratio qui repetitionem istam propriam esse censet lyricae poeseos ut quae magis in contemplatione quam in actione versetur, cum in dramatis aptior visa sit poetis una tantum unius cuiusque strophae iteratio. at hoc quidem loco illud quaerere in animo non est, cum qui id sibi proposuit inquirendum, ei statim in densissimas illas tenebras intrandum sit quibus obruta sint tragœdiae Graecae primordia.[1]) — de epodorum vero origine quas tragici poetae non singulis paribus sed toti carmini annexuerunt clausulam, coniecturam proferemus postea (cf. append. p. 71). nunc strophas ipsas considerare tempus est atque primum componere placet tabulam qua complectamur numeros stropharum.

1. De stropharum numero atque amplitudine.

indicari volumus numeris totis stropharum parium numerum, dimidiatis epodorum ut quas ipsi duxerint poetae strophas carentes partibus respondentibus. ephymnia hic non notantur. adnotationes leguntur p. 27 q. s.

Aeschylus.

	Par.	I	II	III
Suppl.	5 + 3	^{524} 5	^{630} 4	^{776} 3 [1])
Pers.	$3\frac{1}{2}$ + 2 [2])	^{548} 3	^{632} $3\frac{1}{2}$	^{852} $3\frac{1}{2}$
Prom.	—	^{399} 3 [3])	^{526} 2	^{887} $1\frac{1}{2}$
Sept.	3	^{288} 3	^{720} 5	^{832} (2)
Ag.	$1\frac{1}{2}$ + 5	^{367} $3\frac{1}{2}$	^{681} 4	^{975} 2
Choeph.	$3\frac{1}{2}$ [4])	^{585} 4	^{783} 3	^{935} 2
Eum.	3	^{321} 4	^{490} 4	—

Sophocles.

	Par.	I	II	III	IV	V
Aiax	$1\frac{1}{2}$	^{596} 2	^{693} 1	^{1185} 2	—	—
Antg.	2	^{332} 2	^{582} 2	^{781} 1	^{914} 2	^{1115} 2
O. R.	3	^{463} 2	^{863} 2	^{1086} 1	^{1186} 2	—
Trach.	$2\frac{1}{2}$	^{497} $1\frac{1}{2}$	^{633} 2	^{821} 2	^{947} 2	—
Electr.	—	^{472} $1\frac{1}{2}$	^{1058} 2	^{1384} 1	—	—
Phil.	—	^{676} 2	—	—	—	—
O. C.	—	^{668} 2	^{1044} 2	^{1211} $1\frac{1}{2}$	^{1556} 1	—

[1]) haec autem forma qui factum sit ut inveniatur in tragœdiis, facillime intellegitur, si statuimus in lyrico illo dialogo quem parentem esse tragœdiae Graecae contra Wilamowitzium et Bethium in animo est alio loco ostendere, chori stropham, histrionis *(ὑποκριτοῦ !)* antistrophum fuisse.

Euripides.

	Par.	I	II	III	IV	
Alc.	2	213 1	435 2	568 2	962 2	—
Andr.	2	274 2	493 2	766 1½	1009 2	—
Med.	—	410 2	627 2	824 2	976 2	1251 2 [5])
Her.	—	353 1½	608 1	748 2	892 2	—
Hipp.	2½	524 2	732 2	1102 2½	—	—
Hec.	—	444 2	629 1½	905 2½	—	—
Suppl.	2 + 1	365 2	598 2	778 1	955 1½	—
Herc.	1½	347 3	637 2	763 2 [6])	—	—
Troad.	—	511 1½	799 2	1060 2	—	—
Iph. T.	—	392 2	1089 2	1234 1	—	—
El.	—	432 2½	699 2	1147 1 [7])	—	—
Hel.	—	1107 2	1301 2	1451 2	—	—
Phoen.	1½ + 1	638 1½ [8])	784 1½	1019 1	1282 1	—
Ion	—	452 1½	676 1½	1048 2	—	—
Orest.	—	316 1	807 1½	1353 1 (III–IV)	1537 [9])	—
Bacch.	3½	370 2	519 1½	862 1½	977 1½	—
Iph. A.	1½ + 2½	543 1½	751 1½	1036 1½	?	—

Adnotatio.

1.) versus inde a 825 sane misere corrupti, tamen id docet sensus ad commum insequentem eos pertinere non pro epodo habendos esse.

2.) ingentem de vers. 93—100 disputationum molem non est cur attingamus; quos quin O. Mueller. (Mus. Rh. 1837, 369) recte post v. 114 posuerit ita uti epodi munere fungantur, dubitari non potest. primum aut pro *μεσῳδῷι* habendi essent aliunde non nota cum G. Hermanno, quia subsequenti stropharum pari (101—14) tenentur numeri sententiaeque antecedentium novo carmine hoc demum (115) versu incipiente aut cum criticis tradita verba libidinose mutantibus in duas strophas divellendi. — at quo traditi sunt loco hos versus neutiquam ferri posse e totius cantici patet compositione. nunc sic progrediuntur sententiae: iam exercitus iniit Europam (α), sed Xerxes aggreditur terra marique (α′), rex terribilis (β). nemo resistere poterit (β′) — sed quis dei quis Atae effugere potest manum (*μεσῳδός*) — nam Persae, deorum voluntate *περσεπτόλεις* (δ), ipsi didicerunt videre mare turbidum tenuibus confisi rudentibus (δ′). igitur timemus ne quid mali acceperit exercitus (εε′). — intellexit G. Hermannus antistropho δ non agi de navibus quibus assuefacti essent Persae, nec posse agi, siquidem nautae nullo pacto appellari possunt *πίσυνοι λεπτοδόμοις πείσμασιν λαοπόροις τε μαχαναῖς,*

agi de pontibus quibus Xerxes mare transgressus est (cf. v. 68 λινοδέσμωι σχεδίαι); neque obstat εὐρύπορος (108), epithetum maris, modo reminiscaris θαλάσσης εὐρυπόροιο clausulam esse Homericam (O 381 al.) — haec si concedis, hiat sententia post δ stropham, non enim timore agitatur chorus quia didicerunt Persae mare transgredi: quod didicisti potes exigere atque ipse chorus affirmavit v. 65: πεπέρακεν ἤδη ὁ στρατὸς εἰς ἀντίπορον χώραν. expletur lacuna optime transpositis vers. 93—100 quoniam hic comparet ordo vere dignus Aeschylo: Persae invicti (β'). Fortuna ipsa eos voluit bella persequi, evertere civitates (δ), nunc vero etiam mare transgressi sunt (δ') — at hoc nonne impium erat? non fortasse Ata ipsa plagas tetendit regi, unde effugere non poterit? (γ). haec dum cogito timor mihi incidit, ὀᾶ Περσικοῦ στρατεύματος (ε). — verum ad emendandos v. 95 q. s. nil possumus afferre.

3.) utrum 3 an $2^1/_2$ notanda sint paria, propter verba in exeunte carmine corrupta non liquet.

4.) epodum a versu 76 capere initium, non a v. 66, id quod dubitanter suspicatus est Wil. Gr. Tr. II 205, inde sequitur, quod tragici poetae consecuti lyricos epodi demum initio transire solent ad chori ipsius res vel sententias (cf. v. 76 ἐμοὶ δ' ... δίκαια καὶ μὴ δίκαι' ἀρχὰς πρέπον αἰνέσαι — sic. Wil.), qua de re vid. appendicem p. 71.

5.) duobus stropharum paribus constare carmen nunc concedit etiam Wil. Gr. Tr. III 254.

6.) duo numeramus, non tria paria. primi quod dicit Wil. Her. II 168 paris verba interrupta quater coryphaei trimetris iambicis poeta ipse ab insequentibus separavit cum ducem monentem fecit (761) σιγᾶι μέλαθρα· πρὸς χοροὺς τραπώμεθα. igitur quod antea dictum cantatumque est cum non sit χορός, a stasimo quod insequitur segregandum. cf. etiam p. 57.

7.) respondere v. 1147—52 versibus 1155—61 certum est; perfecta est responsio mutatis verbis (1157) εἰς οἴκους in εἰς δόμους, ut duo efficiantur iambi quales claudunt carmen. quod restat commaticum 1162—71 cum prorsus similiter atque Herc. canticum modo commemoratum interrumpatur per coryphaeum (inprimis cf. Her. 754

Lycus ἀπόλλυμαι δόλωι. coryph.: καὶ γὰρ διώλλυς,

cum El. 1167 Clytaem. ἰώ μοί μοι. coryph. ᾤμωξα κἀγώ [simil. Soph. El. 1411]) ne ipsum quidem 'chorus' est sed separandum a stasimo antecedente.

8.) falso Herm. El. 731 Nauck. alii v. 676—89 in duas dispescere strophas vel inde sequitur quod grammatica ratione coniuncta essent contra usum Euripideum (vid. append. p. 70): numeros digessit Wil. Choeph. 257.

9.) cf. p. 22.

inspicienti tabellas id statim tibi comparebit parodos haud raro stropharum numero praestare stasimis; vides enim prima chorica Suppl. Pers. Ag. composita stropharum paribus 8. $5\,^1/_2$. $6\,^1/_2$, O. R. Trach. composita str. p. 3. $2\,^1/_2$, Bach. Iph. A. composita str. p. $3\,^1/_2$, 4 summos quos quisque compegerit exhibere stropharum numeros, Suppl. Eur. parodo dispertitae in par. 3, superatae stasimo nullo, comitem esse unum stas. I. Herc., ipsum quoque tribus instructum paribus. neque causa obscura est: nitebantur poetae tragici parodum prae ceteris choricis media in fabula collocatis exornare modorum chororumque copia ut procemium quam splendidissimum praeponerent rei illi gravi quam explicaturi erant audientibus parodo percantata. quae idcirco in primis apta erat cui imponerent tantum onus, quia non impedita erat actionis vinculis quam quidem ipsa exponebat ac praeparabat. verum non solum stropharum ubertate parodi conspicuae, aliud etiam est quo differre eas voluit a stasimis Euripides sicut voluit Aeschylus: conexuere Aeschylus in Suppl. Phoen. Iph. A. bina carmina absoluta ac perfecta in se parodi loco posita. namque in Suppl. Aesch. quinque stropharum paria consequuntur tria eodem sane composita numerorum genere, scilicet iambis, separatae autem ab illis cum elocutione sententiisque tum eo quod ephymniis aucta sunt; Persarum Agamemnonisque parodi in $3\,^1/_2 + 2$, $1\,^1/_2 + 5$, Phoen. Iphigeniae A. in $1\,^1/_2 + 1$, $1\,^1/_2 + 2\,^1/_2$ disiunctae sententiis numeris postremo epodo illa medio in cantico posita qua claudere voluisse poetas apparet[1]); Euripid. denique Suppl. duas in partes distributa est quoniam stroph. paria $\alpha\ \beta$ a matribus ipsis, γ ab ancillis cantantur.

unam autem eandemque utriusque poetae animo obversatam esse cantici formam inde apparet quod et sententiae et rhythmi semper eundem exhibent ordinem: carmen modis verbisque procedens tranquillioribus ac simplicioribus excipit semper multo excitatius nunc modis nunc sententiis, saepe utrisque, quo transitus fiat ad ipsum fabulae argumentum. hunc sententiarum prae se ferunt ordinem primum cantica Suppl. fabularum: et Danaides et Argivae implorato sane iam priore parte auxilio Argivorum vel Atheniensium altera multis adornata interiectionibus exclamationibus sopitos precum ignes resuscitantes ut vel in altius se erigant flammae efficiunt. qua propter alterius partis strophas Aeschylus ephymniis instruxit semper

---

[1]) hoc proprium parodi esse quamquam intellexit Herm. El. 725, tamen immiscuit aliena; verum viderunt Roßbach.-Westphal. III, 1, 245.

summam testantibus gravitatem, Euripides pro matribus servas canentes fecit quibus magis conveniret ἄπληστος illa *χάρις γόων πολύπονος* (79); deinde chori Pers. et Phoen. cum per priores strophas forma narrationis quae ad expositionem vel fabulae vel chori necessaria sunt, afferant, post epodos permutatis argumentis timorem periculis nunc demum animadversis evocatum concitatis exprimunt rhythmis, canuntque Persae (115)

ταῦτα μοι μελαγχίτων
φρὴν ἀμύσσεται φόβωι,
ὀᾶ Περσικοῦ στρατεύματος,

Phoenissae (256)

Ἄργος ὦ Πελασγικόν
δειμαίνω τὰν σὰν ἀλκάν.

numerorum vero etiam maior similitudo. trochaeos enim eadem compositos ratione, trimetros dico ac dimetros, sola altera parte ostendunt cum Pers. Phoen., tum Ag. (strophis *γ*, *δ*) Iph. A. parodi, quae supra praetereundae erant sententiarum non praebentes ordinem illum, quamvis vel hae bipertitae sint quoniam triadem priore loco positam subsequitur in Ag. sententiosa illa de Iovis imperio pars nullo modo coniuncta cum priore, in Iph. A. *κατάλογος* ille *νεῶν.* praeterea notandum parodum Suppl. Aesch. ultima saltem posterioris partis stropha *(ϑ)* trochaeis incedere prioribus in partibus numeris usurpatis variis, sed prorsus alienis a trochaeis (ionicis in Pers., dactylis in Ag., dimetris choriambicis, quos nominavit Wilamowitzius secundum poetarum quidem usum e duobus 'metris' minime constantes, in Phoen., Iph. A., iambis in Suppl. Aesch.). trochaicos vero numeros iam per se fuisse excitatiores et nomen docet et Aristoteles (cf. p. 9). denique similis numerorum fit anaclasis in Suppl. Eur., cuius tragœdiae parodus constat duobus paribus ionicis, uno iambico longis syllabis quo excitatior esset rhythmus saepe solutis.

haec autem parodi forma perquam artificiosa non ex ipsa eius efficiebatur natura, ita uti alteram partem chorus recitaret scaenam introiens, alteram cum in ea astaret, immo *πάροδος χοροῦ* fiebat dum coryphaeus recitabat anapaestos illos carminibus lyricis antiquissima in tragœdia semper antepositos; sed suo arbitrio poetae argumentum sic disposuerunt ut duo exstarent carmina absoluta quidem in se, sed quasi membra unius corporis.

at hercule non casui dandum est, quod ultimis tragoediae aetatibus prorsus eadem comparet parodi forma atque in antiquissimis. concludi-

mus Euripidem senem imitatum esse Aeschylum quem per totam vitam habuit ducem. cuius studii complura hac dissertatione congerentur exempla, unum iam allatum est (p. 24); hic satis est monere Phoenissarum vel stasima trochaicis composita numeris perlongas exhibentia narrationes redolere antiquitatem (chorum ipsum deprompsisse poetam Phoenissis Phrynichi alio loco in animo est ostendere), Iph. A. parodi enumerationem heroum naviumque epicam potius quam lyricam vel dramaticam unum habere carmen simile: Pers. parodi partem anapaesticam. — denique in Suppl. fabula cum duos choros induxit canentes, formam tralaticiam leviter mutavit Euripides [1]).

numquam epodo medio in carmine posita stasima sicut parodos dispertierunt poetae tragici. attamen esse inter Aeschylea quidem non pauca quae harum parodorum mirum quantum sint similia mox elucebit.

ad stasima quae proprie dicuntur progressi Aeschylearum numeros stropharum cum minorum poetarum conferimus.

stropharum numeri grandes antiquioribus potissimum in fabulis (Prometheo excepta) in recentioribus minuti Sophocleis Euripideisque appropinquant. omnium choricorum numerus summus (8 par.) in Suppl., minimus (2 par.) cum Sept. stas. III. non integrum sit carmen sed quasi pars maioris, commi illius ab hemichoriis recitati, solis exstat in fabulis anno 458 actis (Ag. Choeph.), stasimorum summus (5 p.) post Sept. fabulam actam anno 467 non reperitur. omnium uniuscuiusque tragœdiae stasimorum computatis stroph. numeris hic evadit ordo: Suppl. 12 Pers. 10 Sept. 10 Ag. $9\,{}^1/_2$ Choeph. 9 Eum. 8 (+ 2 strophis ephirrhematis 778 stasimi loco positi). — parodum Agam. omnibus praeter parodum Suppl. antecedere choricis inde explicatur, quod sola (praeter illam) cantatur prooemium tragœdiarum trilogiae.

Prometheus ut solet a ceteris distat: una choricum exhibet par. $1\,{}^1/_2$, siquidem Ag. parodi trias prior pars tantum est carminis permagni, omnium vero stropharum numerus prae ceterarum fabularum minimus est ($6\,{}^1/_2$). confirmatur suspicio stasima qualia tradita sint aut Aeschylea non esse aut legi decurtata vel transformata.

---

[1]) Herculis parodum (cf. Wil. II ² 26) eundem numerorum ordinem praebentem sed ita constrictum uti prior pars constet stropha et antistropho, altera epodo, hic consulto praeteriimus.

ternorum parium carmina sive aucta epodo sive ea carentia in primis Aeschylum habuisse in deliciis ipsa tabula docet. notata sunt 10 carm. (+ Prom. 399) par. 3 vel 3 1/2, 11 (praeter Promethea) plurium minorumve, 2 (parodi Suppl. Pers.) in quibus tria illa paria adiuncta sane alteri carmini tamen quodam modo sola stant (cf. p. 29). accedunt stas. Suppl. 630 Eum. 321 [1]) strophis 1—3 separatis eo a strophis 4, quod solae ephymniis instructae sunt.

atque hic latere aliquid mystici facile concedes cum pensitaveris haec. prae ceteris cantica ephymniis praedita — et eis quibus bis ponantur verba eadem et rhythmicis (Wil. Her. II² 80) — parium 3 exhibent formam. adicienda enim ad Suppl. 630 Eum. 321 paulo ante laudata Suppl. parodi pars altera, stasima Choeph. 783 [2]), Ag. 367 cuius strophas 1—3 insequitur epodus ab ephymnio nuda. atque inde quod ter (Suppl. 630 Ag. 367 Eum. 321) ephymniis instruentem poetam videmus paria 1—3, strophis — vel stropha — 4 sine ephymniis insuper additis, id quidem colligatur necesse est fuisse legem quae plura paribus 3 hoc affici ornamento vetaret. — at eadem via longius procedendum.

ter ephymnium reperitur in Ag. parodi parte priore, post stropham antistrophum epodum chorus imperat:

αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.

unum solum trium parium stasimum pepigit Euripides (Herc. 347): ephymniis rhythmicis instruxit. — Ag. parodi partis prioris consimilia stasima Bacch. 862. 977: stropham antistrophumque subsequitur ephymnium, epodus illi exit in *κῶλον* quoddam ephymnio ad numeros quidem

---

¹) non desunt qui cum Heathio vers 372—76 transferant ante stropham *γ* ita ut respondeant ad v. 355—359. hoc falsum est, cum verba *μάλα ἁλομένα βαρυπεσῆ καταφέρω ποδὸς ἀκμάν* non possint continuari primis strophae *δ* verbis *δόξαν τ' ἀνδρῶν μινύθουσιν*. immo haec exigunt ut v. 354 q. s. iterentur post 367, ut ordo sit *ὅταν Ἄρης φίλον ἕλῃ, ἐπὶ τὸν ἱέμεναι κρατερὸν ὄνθ' ὅμως ἀναυροῦμεν, δόξαι τ' ἀνδρῶν καὶ μάλα σεμναὶ ... μινύθουσιν.* hoc accepto v. 372—76 cum Schneidero iterandi post 380. sic ter binae efficiuntur strophae singulis cum ephymniis.

²) distributionem a Schneidero prolatam hic quoque accepimus, incertissimam esse non ignorantes. at Blassium carmen recte disponere sic *αβ* (= ephym. I) *α'*, *γ μεσῳδός* (= ephym. II) *γ'*, *δβ'* (= ephym. III) *δ'* veri dissimillimum est. neque enim usquam talis reperitur structura neque respondet *β* qualis tradita est ad stropham *β'*.

respondens (Wil. Her. II² 81), huic in sententiam non minus respondentem sententiae sui ephymnii, quando quidem verbis epodi (1020)

ἴθ' ὦ Βάκχε θηραγρευτᾶι (Dindorf.: θηραγρότα) Βακχᾶν
περίβαλε βρόχον θανάσιμον

quasi repeti apparet verba ephymnii (993)

ἴτω Δίκα ξιφηφόρος φονεύουσα...
τὸν ἄθεον Ἐχίονος τόκον.

utroque igitur loco formam carminis tribus exornati ephymniis paulum poetam mutasse concludimus. — huius artis carmina ephymniis tripertiendi praeterea pauca tantum congesturi sumus exempla, sed quibus latissime eam regnare liquido appareat.

poeta ille praeclarus qui carmen Ω affixit Iliadi θρῆνον ab Andromacha Hecuba Helena in Hectorem cantatum (783) tribus voluit constare 'strophis', unicuique addidit ephymnium, primae alterique ἐπὶ δ' ἐστενάχοντο γυναῖκες, tertiae ...ἔστενε δῆμος ἀπείρων.

cantus quo Olympiae salutabatur victor — καλλίνικος ille ὁ τριπλόος κεχλαδώς — ter interrumpebatur ephymnio τήνελλα καλλίνικε (recte sic Wil. Her. II² 49; aliter Sybel Herm. V 192).

mystarum chorus quem Ranarum fabula inducit tres celebrat deos (370), Proserpinam Cererem Jacchum; carmen tertium tribus compositum est strophis, ter repetitur

Ἴακχε φιλοχορευτὰ συμπρόπεμπέ με[1]).

Avium fabula exit in ᾠδάς illas ὑμεναίους quibus excipiuntur Rex et Regina. tres sunt cantiunculae (1731. 37. 48), ter cantatur clausula

Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι' ὦ.

videmus igitur et in deorum[2]) et in mortuorum[3]) cultu hunc regnare numerum, tres cantari strophas, tria ephymnia et in triumphis sollemnibus et in pompis dis oblatis.[4])

---

[1]) tres recitari strophas quia tres adessent chori quamvis multi conati sint nemodum evicit.

[2]) cf. Preller-Robert Myth.⁴ 109 q. s. — Wilam. verba ad v. 163 O. R. a Bruhnio editae.

[3]) cf. Diels Sibyll. Bl. 40¹: die geltung der dreizahl im totenkult gehört zu den bekannten dingen. nostra interest mortuum ter invocari (Wil. Her.² 119).

[4]) Usener Dreiheit M. Rhen. 58, 1. drei chöre von tänzern und sängern müssen eine sehr übliche und verbreitete forderung der gottesdienste gewesen

iam redeamus ad Aeschylum. tribus illis canticis eodem instructis ephymnio rhythmico (Suppl. 630 Ag. 367 Herc. 347) nomos quosdam in Apollinis Delphici religione usitatos poetas imitatos esse demonstravit Wilamowitzius (Herc. l. l.), eis numerum trium parium lege praescriptum fuisse conclusit idem: nos quod non solum tria illa sed quaecumque ephymniis tragici adornavere cantica (praeter Choeph. 935 de quo cf. p. 36) ternis composuerunt strophis unicis vel geminatis, id non casui attribuemus cum praesertim unum quodque carmen vel sententiis vel dicendi genere prae se ferat precationis vel omnino sollemnioris cantus formam, sed mori illi tres distinguendi partes in quovis cultu vigenti. porro causam cur Aeschylo omnino carmen trium parium inprimis fuerit in deliciis, ex religione vel etiam ex superstitione petendam esse veri simillimum est.

fuit cum hic subsisterem. — at quantopere ipsum me putas obstupuisse cum sensi nullo fere in chorico Aeschyleo, nullo in commo non comparere acrius intuenti carmen illud stropharum paribus 3 compositum? hunc numerum regnare videbis quocumque veneris; reperies eum ubicumque quaesiveris, ipse examines num egressus sim veritatem!

stasimorum Suppl. 630 Ag. 367 Eum. 321 strophis γ adiectum esse par aut totum aut dimidiatum (epodum Ag. 367) ephymniorum expers iam monuimus. quod cum semper e iambis compositum sit aut totum aut maxima ex parte — exit enim carm. Eum. in 5 d + claus. troch. — pro clausula carminis trium parium haberi voluisse poetam manifestum est[1]). haec igitur cognoscitur structura

$\left.\begin{matrix}\alpha\\ \beta\\ \gamma\end{matrix}\right\}$ strophae instructae ephymniis — δ clausula iambica.

eadem vero reperitur in stas. Eum. 490 Ag. 681 siquidem par quartum numeris (et sententiis) eo separatum est a prioribus, quod solum e puris

---

sein p. 2 als die entwicklung der chorischen lyrik zur dreigliedrigkeit in strophe, antistrophe und epode fortschritt, waren dabei orchestrische rücksichten gewiß von geringerem einfluß als das bedürfnis, auch dem cultuslied eine durch die heilige drei beherrschte form zu geben. p. 3 Augustinus 'ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit'.

[1]) lector sentit Wilamowitzi me uti sententiis quales protulit e. g. Com. metr. II 29.

constat iambis illis aut iambis omnino aut his certe carentibus (leguntur enim trochaei in Eum. , aeolica membra in Ag.):

α, β, γ } trochaei, 'glyconei' — δ clausula iambica.

pro iambis poeta trochaeis clausit exodicum Supplicum, aptioribus choro e scaena egredienti:

α, β, γ } ionici — δ clausula trochaica.

par ultimum et Danaidum est et ancillarum, cum in prioribus cantent vicissim.

igitur sex invenimus chorica solis numeris disiuncta in strophas 3 + 1.

quina exhibent paria stas. Suppl. 524 Sept. 720. Supplicum et sententiis[1]) et numeris dirimitur in paria

1 + 3 + 1.

narratio enim illa de Ius erroribus incipit a str. β, terminatur antistropho δ, strophae α et ε quas Iovi offerunt Supplices servatori Ius, ipsius carminis quasi prologus sunt atque epilogus , atque hic quidem vel iambos illos habet per quos transire solet poeta ad dialogum. — Sept. fab. stasimum ad numeros unum atque perfectum sententiis digeritur in paria

3 + 2,

namque a furia orsus Polynici Eteoclique mortem minitata *(πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεόν . . .)* chorus de Lai, generis miserrimi auctoris, *παράνοια* postquam enarravit (β-β'), claudit verbis *δέδοικα σὺν βασιλεῦσι μὴ πόλις δαμασθῇ* (764); altera parte sententiam illam *τὰ ὀλοὰ πενομένους* (Bücheler.: *πελόμεν' οὐ*) *παρέρχεται, πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει . . . ὄλβος ἄγαν παχυνθείς* comprobari affirmat Oedipodis exemplo *(δ—ε)*, deinde iterum ad ea conversus quae extra scaenam aguntur (ε') claudit verbis *νῦν δὲ τρέω μὴ τελέσῃ καμψίπους Ἐρινύς* (790).

quibus stasimis adiungendae parodi Suppl. Pers. Ag. — vidimus Pers. parodum dispositam esse in

---

[1]) sententiarum de dispositione, de qua cum de compositione scripturi simus (cf. append. p. 70) explicate erit agendum, hic quam paucissima — fortasse nimis pauca — diximus.

$\left.\begin{array}{l}\alpha\\ \beta\\ \gamma\end{array}\right\}$ strophas ionicas $\left.\begin{array}{l}\delta\\ \varepsilon\end{array}\right\}$ strophas trochaicas,

cum epodo

numeris eodem modo inflexis atque Supplicum fabulae carminis exodici, Agamem. in

$\alpha\alpha'$ strophas ephymniis β adornatas — γ—η' strophas sine ephymniis,

hae ipsae vero secundum numeros divelluntur in strophas

$\left.\begin{array}{l}\gamma\\ \delta\end{array}\right\}$ trochaicas $\left.\begin{array}{l}\varepsilon\\ \zeta\\ \eta\end{array}\right\}$ iambicas

sicuti Supplicum parodi pars prior quam excipiunt paria 3 ephymniis instructa sententiis quidem disponitur in strophas

$\left.\begin{array}{l}\alpha\\ \beta\\ \gamma\end{array}\right\}$ $\left.\begin{array}{l}\delta\\ \varepsilon\end{array}\right\}$

cum annexuerit poeta Supplicum precationi (α—γ) duo paria stropharum quibus de Iovis agit maiestate sententiis generalibus. schema igitur harum parodorum idem:

Pers.	par.	$3^1/_2$	+ 2	
Suppl.	—	2	+ 2	+ 3 (eph.)
Ag.	stroph.	3 (eph.) + par 2		+ 3.

sic dissolvuntur grandes illi parodorum numeri stropharum in minores nobis notissimos.

consummamus: 10 (+ 1 Prometh. f.)	exstant	chorica	parium	3
6	—	—	—	3 + 1
5	—	—	—	3 + 2 (+ 3)
				aut 1 + 3 + 1.

itaque in 21 choricis carmen reperitur tripertitum.

stasima e quibus forma illa neutiquam potest elici (Prometheo nunc neglecta) nisi in Orestia non leguntur. 2 paria exhibent stas. Ag. 975 Choeph. 935 praeter Eumen. fab. exodicum (chori *προπομπῶν*, carmen minimum). Choeph. 585 forma est perquam singulari 2 + 2

$\left.\begin{array}{l}\alpha\\ \beta\end{array}\right\}$ stroph. trochaic. $\left.\begin{array}{l}\gamma\\ \delta\end{array}\right\}$ stroph. iamb.

progredimur ad commos ephirrhematicos lyricosque.

epirrhematica 3 paribus constantia exstant duo, Pers. 256 Sept. 203, vel ad numeros sententiasque finitima. trimetri utroque loco histrionis sunt. accedit commus Suppl. 843[1]) priore parte lyricus altera qua descendit poeta ad dialogum epirrhematicus. carmina ab actore et choro vicissim recitata paribus 3 + 1 constantia non exstant. — at forma 3 + 2 non est frequentior. Suppl. 348 Danaides postquam verbis nudis Regi se persuadere nequire intellexerunt, ad cantum (dochmiacum) conversae tria cantant stropharum paria illo singulis strophis quinos, ultimae vero undecim adiungente trimetros, quibus prior clauditur pars. de integro exordiuntur feminae canere, nunc quidem duo paria paeonica maxima ex parte, Rege post stroph. ε demum verba faciente. structura igitur

α	cum trim.	(5)	⏞
β	—	(5)	δ ε
γ	—	(5. 11)	trim. 17

Persarum commus celeberrimus (932) e 7 ½ compositus paribus secundum numeros, formam cantus, sententias disiungitur in paria

3 + 2 + 2 ½ (iambica!),

siquidem inde a stropha δ *ἀμοιβεῖον* incipit proprie dicendum responsis *κατὰ στίχον* datis, cum in prioribus et histrio et chorus suam quisque habeat cantiunculam. accedit quod inde ab ea ipsa stropha pro anapaestis recitantur iambi dochmiique. atque iambi a v. 1038

δίαινε δίαινε πῆμα· πρὸς δόμους δ' ἴθι,

initio strophae 6, initio exodi, puri decurrunt usque ad finem (cf. Wil. Com. metr. II, 23). itaque perquam propinqua est exodus parodis illis supra dispositis.

porro epirrhematica Sept. 417. Eum. 778 ratione persimili composita esse quin concedas, nullus dubito. Septem fab. scaena admirabili elaborata arte ex nuntii Eteoclisque *ῥήσεσιν* atque chori strophis, quarum primae locus quasi expletus est sex hemichoriorum ducum trimetris, composita est ita ut alterna vice se excipiant 1. stropha chori 2. trimetri nuntii et principis. ita tria efficiuntur paria. exit nuntius, insequitur epirrhematicum chori Eteoclisque constans paribus (minoribus sed ipsis quoque dochmiacis) duobus. quae carmina cum in eodem legantur epi-

---

[1]) hunc intrare labyrinthum aggredique portenta illa *ἰόφ ὀμ κάκκας νυ* non audeo. at id admodum certum esse videtur v. 825—42 *προωιδόν* esse sicut v. Pers. 922 q. s., responsionem ante v. 843 esse nullam.

sodio, quamquam divulsa sunt trimetris 677—85, cumque de eadem agant re (de Thebanorum scilicet hostiumque monomachiis), coniuncta putari voluisse poetam similiter atque partes c. Suppl. 348 veri simillimum est. — illi vero Eum. 778 sive sententias respicis sive structuram mirum quantum est propinquum. epirrhematicum enim parium 2 quibus Furiae de iniustitia insolentiaque deorum verba faciunt, paucis trimetris subiunctis excipit epirrhematicum par. 3 instructum, novum numeris, novum etiam sententiis: *ἐφύμνιον* illud pro Athenis cantatum.

at sive concedis utroque loco agnosci formam carm. Suppl. 348 membris paulo magis tantum separatis sive membra ipsa integra ducis carmina, id patet tripertitum carmen his quoque subesse choricis.

subiungimus commos Ag. 1448 Choeph. 305 quorum strophae copulatae atque coniunctae sunt arte rarissima. illum praeit epirrhematicum pari uno constans, commus ipse e tribus compositus est paribus ita ordinatis (secundum Schneiderum) ut unaquaeque pars habeat stropham antistrophumque ipsas quoque tripertitas. primi igitur quod vocavimus paris figura haec

				alterius			
chor. α		chor. α′		chor. γ		chor. γ′	
c. ephym.	A	c. eph.	A′	c. eph.	B	c. eph.	B′
Clytaem. β		Cl. β′		Cl. δ		Cl. δ	

tertii

chor. ε		chor. ε′	
c. eph.	Γ	c. eph.	Γ′
Cl. ζ		Cl. ζ′	

atque cum histrionis strophae e meris compositae sint anapaestis, hic commus simillimus est epirrhematici Eum. 916, totius vero cantici haec ascribenda forma

1 + 3.

Choeph. 305 stropharum tres sunt participes personae, Orestes Electra chorus. ternis uniuscuiusque strophis efficitur stropha maior ad quam respondet structura antistrophus. primum ac secundum par earum quas maiores appellavimus stropharum sunt

Or.	α		Or.	γ		δ		ζ	
chor.	β	A	chor.	β′	A′	ε	B	ε′	B′
El.	α′		El.	γ′		δ′		ζ′	

tertium (cf. Choeph. ed. a Blassio p. 129)

chor. η			chor. ι		
El. ϑ	Γ		El. η	Γ'	
Or. ι			Or. ϑ		

carmina tripertita AA', BB', $\Gamma\Gamma'$ seiuncta anapaestis coryphaei (v. 306. 340. 371. 400) excipiunt duo paria stropharum tralaticia arte compositarum

$$\left.\begin{matrix}\varkappa\\ \varkappa'\end{matrix}\right\} \qquad \left.\begin{matrix}\lambda\\ \lambda'\end{matrix}\right\}$$

quae solius sunt chori. igitur carmen triplex hic quoque auctum est minore, at utrum disponendae sint strophae in

$$3+2$$

an in $3+1+1$,

neque potest diiudicari neque interest scire, modo id teneas per ultimas, multo simpliciores illis structura numerisque, transire poetam ad diverbii λέξιν.

agmen claudat canticum Ag. 1072 cuius strophis 1—4 efficitur epirrhema, 5—7 commus. subest forma

$$4+3.$$

prior numerus dividi nequit.

quod investigare conamur carmen non reperitur in commis Pers. 694 qui uno solo perexiguo constat pari quo Darei salutatur umbra, Suppl. 736 duo parvula exhibente inter stasima collocata multo maiora[1]).

at exceptione dicebant olim firmari regulam neque est cur propter illos restringamus quam prolaturi sumus sententiam.

e Bacchi cultu nata est tragœdia, deorum in cultu tres cantari solebant cantiunculae eodem incedentes pede, sicuti epodica carmina Graecorum sexti quintique a. Chr. n. s. tripertita erant. tragici Graeci ipsi quoque tenuere cum modos numerosque tum sacrorum carminum formas, tenuit Aeschylus sollemnem stropharum numerum. paria autem pro strophis simplicibus utrum tragoediae comoediaeque demum propria sint necne, etsi ne hic quidem potest quaeri, tamen ad rem ipsam nullius esse momenti manifestum est.

tenuit Aeschylus stropharum numerum tralaticium. hinc intellegitur cur et stasima et commos permultos ternis composuerit paribus; quae ut

[1]) Septem fabulae exodum cuius de integritate dissentiunt nunc quidem tacitus praeterii.

apte clauderet apteque conecteret cum dialogo cantica cingente, interdum epodum vel etiam quartum stropharum par adiecit; interdum vero chorica non satis prolixa esse ratus amplificavit eo quod aut subiunxit aut praemisit carmina stroph. parium 2. atque hac componendi ratione orta sunt stasima, commi, epirrhematica paribus 5 constantia, hac parodus Pers., hac denique perlonga illa carmina, parodi Ag. Suppl., exodus Pers., commus Choeph., quae quamvis ampla atque varia sint modorum numerosumque copia, tamen disposita sunt a poeta secundum normam illam antiquissimam atque simplicissimam [1]).

sed anno circ. 458 Aeschyli arte ad summum fastigium adducta cum iam nova illa comparerent ingenia, vel maioris poetae ratio compingendi carmina commutata est: numerum secundum tertio succedere passus Agamemnoni Choephorisque singula stasima inseruit duo exhibentia paria, Choephoron stas. alterum sic disposuit ut duo trochaica exciperent duo iambica.

Prometheum neglexímus. num putas Aeschylum anno c. 470 parodum stasimumque alterum composuisse parium 2, tertium $1^1/_2$?

Sophocles atque Euripides vel in adornandis stasimis poetam summum consecuti sunt ita uti ultra ducem progrederentur ipsi; nam receperunt sane Aeschyli artem disponendi carmina, spreverunt autem sicut prologos anapaesticos ab Aeschylo stasimis haud raro praemissos (cf. p. 49), ita formam illam quae tria exhibet stropharum paria. stasima enim hoc modo composita inter plura quam centum non exstant praeter stas. Herc. I quo nomum quendam Apollini sacrum imitatum esse Euripidem constat, parodos O.R. (3), Bacch. ($3^1/_2$) [2]).

---

[1]) hoc loco adnoto Wecklini de stasimis Aeschyleis dissertationem (Jahrb. f. kl. Ph. Supplem. 13) qua singula choricorum paria a singulis chori 'stoechis' recitata esse autumat, consulto me silentio praeterisse.

[2]) in commis epirrhematicisque numerus ille diutius videtur esse servatus a Sophocle (3 p.: Aiac. 348, Antg. 1261, O. C. 1670; $3^1/_2$: Phil. Par. Electr. Par.). noto praeterea Electrae Euripideae commum ab Oreste Electra choro post Clytaemestrae caedem cantatum, qui ad exemplar illius Aeschylei conditus videtur esse, tria exhibere paria stropharum: „Electra zeigt archaische, besser archaistische züge" (Wil. Her. I² 148).

at scimus extrema vitae suae aetate Aeschylum deflectentem a trita via subinde copulasse bina tantum stropharum paria. quod raro evenit apud poetam natu priorem, quasi lege confirmatum videtur a posterioribus, apud quos inde ab Aiacis temporibus nulla frequentior sit forma carmine bipertito. atque sicut Aeschylus clausulam addidit interdum epodum carmini trium, ita Sophocles atque Euripides carmini duorum parium. hac vero minuendi via longius progressi indulserunt sibi et monostropha et triades simplices loco stasimi ponere, quae numquam repperimus apud illum.

at in universum de his numeris disputare nil attinet, ad singulas artis dramaticae aetates conversi quas iam pridem definierunt viri docti, num certas certis temporibus regulas constituere possimus, quaerendum est. atque Euripideae artis constitutae sunt aetates hae (Wil. Her. I^2 143):

I Alcestis (438) Androm. Med. (431) Hipp. (428) Her. Hec.

II Suppl. (421) Herc. Troad. (415) Iph. T. (414?) El. (413) Hel. (412).

III Phoeniss. (Hypsipyla) Orest. (408) Bacch. Iph. A. (406).

Ionem cuius de aetate litigatur hic omisimus[1]). —

certis his spatiis (440 — c. 428) (428—412) (411—406) Sophoclis tragœdiae hoc modo quin iniungendae sint, nemo est qui dubitet:

I Antg. Aiax (eodem fere tempore actae atque Alcestis cf. p. 52) O. R. (c. 430?)[2])

II Trach. (post Herc. cf. Wil. Her. I^2 153) El. (non multo ante 413 cf. Kaibeli Electr. 63)

III O. C. Phil. (409).

cum his artis aetatibus stropharum numeris collatis efficiuntur haec:

I intra annos c. 440—428 (Antg. Aiax. Alc.—Hipp.) stasimum duobus fere constat paribus; rara sunt maiora, rara etiam minora: ratio intercedens inter haec atque ea quae maiorem minoremve exhibent numerum quam 2, est in Sophocleis 2 : 1, in Eur. 2,25 : 1.

Soph.	10 chor.	par.	2	Eur.	18 chor.	par.	2
Antg.—O. R.	3 -	-	1	Alc.—Hec.	2 -	-	1
	1 -	-	1 1/2		3 -	-	1 1/2
	1 -	-	3		3 -	-	2 1/2

[1]) Helenam quae post Iphigeniam acta est (cf. Bruhn. Iph. T. p. 13) alteri malui tribuere aetati cui Iph. adscribenda erat ante El. acta (Bruhn. ibid.). verum utraque in fabula iam extremae vitae suae artem adhibuit Euripides.

[2]) O. R. paulo post 457 actam esse nescio an nemo concedat Bruhnio. quid? inter Orestiam atque O. R. unum duosve putat interesse annos?

secundum num. stroph. inprimis cognatae inter se fabulae Antg. Alc. Med. Andr., ut quae tot habeant cantica bipertita uti ea quasi legitima videatur esse forma (6 : 1) annorum 440—430 (his enim Andromacham tribuendam esse postea demonstrabimus).

II intra annos 428 — 412 (Hipp.—Hel.) et apud Soph. et apud Eur. minuuntur numeri carminum par. 2. ratio apud Soph. 1 (2 par.) : 1 (mai. min.), apud Eur. 1,3 : 1. crescunt numeri carminum quae constant ex par. 1 cum epodo. rationes tum fuerunt apud. Soph. 1 ($1 \frac{1}{2}$ par.) : 10 (2 p.), apud Eur. 1 ($1 \frac{1}{2}$ par.) : 6 (2 par.), sunt nunc apud Soph. 1 : 2, apud Eur. 1 : 4.

Soph.	4 chor. par. 2	Eur.	12	chor. par. 2
Trach. El.	2 - - $1 \frac{1}{2}$	Suppl.—Hel.	3	- - $1 \frac{1}{2}$
	1 - - $2 \frac{1}{2}$		3	- - 1
	1 - - 1		1	- - $2 \frac{1}{2}$
			1 (+1)	- - 3

III ultimis vitae suae annis Euripides carmina par. 2 componere desiit; ratio inter haec et cetera intercedens plane conversa est: 16 (mai. min.) : 1 (par. 2). Sophocles ea non vitavit; num fortasse vel saepius usurpaverit quam aetate altera, propter numeros minimos non liquet. (ratio 2 : 3). in fabulis Euripideis pro carminibus par. 2 prodeunt carm. par. $1 \frac{1}{2}$ et par. 1; ratio 9 ($1 \frac{1}{2}$ p.) : 4 (1 p.) : 1 (2 p.). accedit quod triade stropharum bis prior chorici maioris (par. Iph. A. Phoen.) conformatur pars.

Soph.	3 chor. par. 2	Eur.	
Phil. O. C.	1 — — $1 \frac{1}{2}$	Phoen.-Iph.A.	9 chor. par. $1 \frac{1}{2}$
	1 — — 1	praeter	+ 2 — — $1 \frac{1}{2}$ + (1. $2 \frac{1}{2}$)
		Ionem	4 — — 1
			1 — — 2
			1 — — $3 \frac{1}{2}$

atque hoc dignissimum videtur mentione, quod ultimis demum vitae suae annis poeta plane commutavit componendi rationem; nam carm. par. 2 post Helenam demum quae fabula anno 412 acta est (Wil. An. Eur. 148) desiit condere, quorum vice voluit fungi carmina ad numerum stropharum simpliciora. hinc autem sequitur Jonem quam qui artis Euripideae non plane inscii sunt in numero fabularum ducunt post 420 compositarum, adscribendam esse his ultimis: sola enim omnium quae

ante Phoenissas actae sunt duo exhibet stasima singulis triadibus constantia[1]).

sed alia quoque ratione numeris taedii plenis neglectis ostendere iuvat Euripidem ultimis annis minora numero quidem stropharum carmina pangere maluisse. tragici Graeci enim cum Aeschylea componendi ratione submutata vel ad minimorum stropharum numerorum cantica compingenda verterentur, tamen legem sibi ipsi constituerunt ne quovis fabulae loco ea ponerent; monostropha enim (ut tralaticio utamur verbo quo nos significari volumus cantica singulis stroph. paribus constantia), perinde atque astropha Euripides, non posuerunt stasimi loco nisi

1. ante scaenam commaticam. Antg. 781 El. 1384 (ante

[1]) Ionem doctam esse post Troades (415) ex magno longarum syllabarum solutionum numero conclusit Enthovenus (de Ione fab. p. 11 q. s), ultimis temporibus tribuitur et artis dramaticae specie (cf. Wil. Gr. Tr. III 295 [1]) et quod tetrametri trochaici tribus in scaenis (510. 1250. 1606) leguntur (cf. Wil. Her. I[2], 145); accedit quod monodia lyrica ante parodum chori non invenitur nisi in Electra (413), Phoen. (411—9), Ione. — at obstrepere videtur Minervae epilogus in quo affirmat Iones *σὺν χρόνωι πεπρωμένωι* Clyclades insulas, oram maritimam Asiae, os Ponti occupaturos *ὃ σθένος τὴμῆι χθονὶ δίδωσιν,* Ionum pro Achaeorum Doriensiumque praedicat progeniem. itaque Wilamowitzius (Herm. 18, 242): ein sicherer terminus ante quem (ist) der zusammenbruch des reiches; denn die prophezeiung Athenas, welche die Ionier als nachkommen Ions, Dorer und Achaeer als niedere race behandelt, ist nach winter 413/12 einfach undenkbar. — igitur ante Troadas Ionem actam ducit (Gr. Tr. III l. l.) sicut Dieterichius (PW. p. 1259). at hanc rectam esse sententiam ego praefracte nego. — audeo etiam hariolari atque proferre coniecturam quam stabilire nondum potui. Alcibiades olim amicitia cum Euripide coniunctus, si tenemus quod traditum est (cf. PW. 1247. 1269), ad Abydum vicit 411, mense Martio anni 410 ad Cyzicum; oppidis Cyzico Perinthoque in Atheniensium imperium redactis Chrysopoli vectigalia poscebant a navibus ex Ponto evecturis. eodem anno Endio legato a Lacedaemoniis Athenas misso ut de pace ageret, illi laetitia quasi tumentes pacem reppulere, cum sperarent duce Alcibiade se omnia recuperaturos quae amiserant. atque aucta est spes cum ipse reverteretur anno 408. nonne fieri poterat ut e laetitia annorum 411, 410, 409 longum post tempus resuscitata nasceretur Ionis epilogus? non fieri poterat ut poeta senex aliquid novi atque prosperi eventurum esse patriae speraret duce Alcibiade? suspicor igitur anno 410 vel 409 (quibus c. annis ectypa Victoriis exornata infra Victoriae in Acropoli aedes constituta esse rectissime olim coniecit Kekule Balustrade des Tempels der Athena-Nike 1869) postquam repudiaverunt Athenienses conditiones aequissimas, doctam esse Ionem.

caedem Clytaemestrae) — Eur. Alc. 213 Suppl. 778 El. 1147 (ante caedem Clytaemestrae)[1]) — δ.

2. ante catastropham vel exodum tragœdiae (Soph. El. 1384. Eur. El. 1147 hoc quoque loco afferenda).

Aiax 693 chorus ὑπόρχημα quod dicunt habet antequam tristissimus de Aiacis morte nuntius adveniat[2]).

O. R. 1086 canticum laetis insigne sententiis quo de nobili Oedipi agitur natu antequam infelicissimum eum esse comperiat chorus. — δ.

O. C. 1556 chori pro Oedipo ad inferos descendente precatio ante exodum fabulae. — δ.

Eur. Phoen. 1282 ante exitum fabulae — δ.

igitur quae de Euripidis astrophis exposuimus canticis, eadem de his dicenda praesertim cum quae sexies (quinquies p. 24, semel p. 25) illic notata est scaena (choricum minimum cantatur dum accidit extra scaenam quod gravissimum est ad actionem), hic bis reperiatur (Soph. El. 1384 Eur. El. 1147), neque omnino causa potest afferri cur Euripides hic strophico illic astropho usus sit vel cur Sophocles astropha nusquam usurpaverit. — haec vero minima carmina strophis composita vel eo differunt a ceteris stasimis, quod generalibus sententiis numquam fere ornata vel brevem tantum chori precationem continent vel choreutarum affectus leviter depingunt.

contra Euripides solus ultimis solis temporibus ausus est aliis quoque fabularum locis ponere carmina quae singulis tantum constent paribus (Orest. 316 Iph. T. 1234 Phoen. 1019) atque complere longis narrationibus ad fabulae argumentum minime spectantibus (Iph. T. 1234 Phoen. 1019). sic carmina monostropha stasimorum compositorum e paribus 2 susceperunt munera.

unum solum repugnare videtur stasimum regulae a nobis constitutae, monostrophum Her. 608, quippe quod neque ante exodum fabulae

---

[1]) utilissimum puto diligenter conferre scaenas in quibus morientis clamores miscentur cum chori cantu. hoc iam Kaibelius (El. 289) animadvertit τόπον esse bis clamare morientem velut ὤμοι—ὤμοι μάλ' αὖθις. alius est hic: choreutae consilium habere solent utrum aptius sit auxilium ferre an manere ante domum; sed semper manent ubi sunt: cf. Aesch. Ag. 1347 Med. 1275 Hec. 1042 Orest. 1540.

[2]) optime etiam scholiastes: χρείας ἕνεκα τὸ χορικὸν νῦν παρείληπται, ἐξελθόντος γὰρ τοῦ Αἴαντος ἔδει βραχὺ διάλειμμα γενέσθαι... ἔνθεν καὶ βραχύ ἐστιν τὸ χορικόν.

cantetur neque ante commaticam scaenam. hoc autem stasimum quae subsequitur scaena non integram esse traditam cum inter omnes constet, post illud ipsum canticum quo loco hiat oratio olim commum monodiamve Macariae vel omnino lyricam scaenam fuisse confidenter confirmo (cf. Wil. Herm. 17, 337 q. s.).

haec numeris stropharum diligenter collatis colligi possunt. — at stropharum numerus sane paulatim imminutus; carmina ipsa num minuerint poetae ut enucleemus, alia progrediendum est via: definitur enim carminis amplitudo non solum numero verum etiam ambitu earum quibus constat partibus. strophae ipsae igitur utrum creverint an imminutae sint, inquirendum est.

strophae historia nondum conscripta. verum id vel antiqui intellexere musici (Dion. H. de comp. verb. 19, [Censor.] de musica Gr. L. IV 608) stropham lyricae poesi peculiarem inventam esse, ut loquar uti ipsi solent Graeci, in Asia omnis poeseos matre, multo vero amplificatam in Graecia ipsa cum illic perexiguo terminata esset circuitu. tres vel quattuor illos versiculos e quibus composita esse solet stropha Alcaica Sapphica Anacreontea quosque dispositos esse constat secundum schema a a b (Crusius Com. Ribb. p. 20, Wil. Isyllos 133) iam ab Alcmane ita videmus auctos in parthenio ut pro singulis versibus positae sint strophae parvulae, pro *στίχῳ ἐπῳδῷ ἢ ἐπῳιδός*. eadem via longius processerunt Simonides, id quod ostenditur in primis *θρήνῳ* illo quem dicimus *Δανάης* (Wil. Is. 146) epinicioque Scopae dicato (fr. 5 B), Stesichorus Pindarus, de quibus haec Dionysius l. l. *οἱ περὶ Στησίχορον καὶ Πίνδαρον μείζους* (quam Aeolici) *ἐργασάμενοι τὰς περιόδους εἰς πολλὰ μέτρα καὶ κῶλα διένειμαν αὐτάς*. atque ecce tandem carmina illa Pindarica vasta conspicua amplitudine stropharum quale legitur e. g. Isthm. VIII. verum illo e semine ortam esse hanc arborem perquam magnificam, quamvis pauca comperta habeamus de lyricorum poesi ante an. 498 florente, certum est. — at a carminibus Pindaricis ad Aeschylea transitus non est. quantum ab illius epiniciis differunt chorica Suppl. Persarumque! differunt forma, nam binas tantum respondere strophas tragœdiae proprium, illis aut per triades aut per strophas progredientibus identidem repetitis (cf. p. 25); differunt numeris: nam nec Pindarus umquam usurpavit iambos trochaeos [1]) dochmios dactylos quales Aeschylus, ionicos vero perraro (cf.

[1]) quod olim censuit Wil. (Com. metr. II 29) trochaeos tragicorum specie tantum differre a dactyloepitritis Pindaricis nescio an nunc non iam teneat.

Wil. Is. 150) nec hic quos olim vocabant dactyloepitritos (nisi in Promethei stas. alter.); differunt postremo ambitu sropharum. Aeschylus enim a strophis orsus perquam exiguis paulatim ad maiores componendas se vertit.

sed de stropharum amplitudine acturi sane nescimus qua ratione nos uti opus sit vel unde petenda sint argumenta ut fulciamus quam edituri sumus sententiam. *μέτρον* quoddam quo metiri liceat strophas diversissimis procedentes numeris, non est; quae musica arte olim diremptae sint partes, nescimus omnes; oculis putaveris confidendum esse: at hi fallacissimi. — ad verba igitur confugimus, verborum nonnullos daturi sumus numeros ut definiamus amplitudinem stropharum. sed ne casui nos demus, numquam adscribemus singularum stropharum sed quem stropharum par perlustrantes assecuti sumus verborum numerum.

at Aeschyleos numeros siquidem tam incerta solent esse verba carminum ut hac quidem ratione firmum sententiae fundamentum iacere vix possimus, conscribere ipse vereor; quod vero ad Sophoclis pertinet artem, mihi quidem ut diversam rationem compingendi strophas diversis artis eius aetatibus constituerem, non contigit: in Aiace multo longiores reperiuntur strophae quam in Trach., in O. C. quae fabula ultimis Sophoclis temporibus attribuenda est multo magis magnificae quam in Trachiniis. itaque prout aptae videbantur sententiis modis numeris, modo maiores modo minores condidit strophas. at Euripides mirum quam certam ac definitam sibi constituerit legem, magis etiam mirum quod post annum 420 qui annus omnino gravissimus est ad artem eius recte intellegendam (cf. Dieterich. PW 1269) plane commutavit rationem componendi. videas ipse. propono tibi verborum numeros quos singula continent stasimorum paria stropharum ita ex singulis fabulis electa ut nec magno nec parvo ambitu insignia plurimum minimumque simul tradant numerum verborum.

I	Alc. 962	α 41 β 42	Andr. 274	α 32 β 37	Med. 824	α 32 β 33
	Her. 748	α 39 β 32	Hipp. 524	α 36 β 34	Hec. 629	α 31 β 34
			Suppl. 955	α 28 β 35		
II	Herc. 637	α 70 β 48	Troad. 511	α 64 β 65	Iph. T. 1089	α 61 β 56

El. 432[1]	α 36 β 42 β'' 40	Hel. 1301	α 64 β 54	Phoen. 638	α 64 β 51
Or. 316	α 64	Bacch. 519	α 70 β 64	Iph. A. 543	α 59 β 61

patet inde ab Herculis tempore Euripidem multo longiores pepigisse strophas, non raro unum solum par eundem efficere numerum quem tum duo; inde ab Supplicum Herculisque temporibus carmen parium 2 rarius invenitur cuius in locum successit stas. uno pari cum epodo vel uno solo pari constans. necesse est hoc cohaereat cum illo. atque iam respicias summos quos habeo numeros qui ultimis demum annis reperiuntur[2]).

Iph. T. 1234	1	par.	95
Phoen. 784	1½	—	88 74
— 1019	1	—	83
Ion. 676	1½	—	78 48
	epodo lacunosa.		
Iph. A. 1036	1½	par.	74 72
Bacch. Par. epod.			122
— 862	1½	—	84 46

atque ut uno saltem exemplo demonstremus non solum verborum sed etiam versuum numeros amplificatos esse post Herculis tempora, exiguam glyconeorum tabellam proferimus. Sophoclea carmina glyconea 10—13 versus glyconeos exhibent.

Antg. Par. α 10 gl.
O.R. 1186 α 11 —
El. 1058 α 12 —
O.C. 668 α 13 —

Euripidea prioris quam constituimus aetatis 9—11.

Alc. 962 α 11 gl.
Hipp. Par. β' = Herc. 353 α'' = Hec. 444 α 10 gl.
„ 525 β = „ 353 α = „ 444 β 9 gl.

contra alterius 14—20.

---

[1]) notatu dignissimum Electrae stasima omnia multo minores exhibere numeros quam eiusdem aetatis fabulas ceteras:

stas. 699 α 49 β 37 1147 α 36 „Electra zeigt ... archaistische züge".

[2]) cf. etiam longissimas Hypsipylae strophas The Oxyrynchus Papyri VI p. 35.

Herc. 637	α 17	gl.	Ion. 452	α 20	gl.
	β 14			α'' 17	
Iph. T. 1089	α 17	gl.	Iph. A. 1036	α 19	gl.
	β 14			α'' 16	

igitur quod verborum idem docent versuum numeri.

quae nunc effecimus si coniungimus cum eis quae priore huius capitis parte exposuimus, haec constituenda est regula: Euripides post annum c. 420 pro carminibus minores strophas exhibentibus amplitudine, maiores numero stropharum, posuit stasima longissimis composita strophis, numero stropharum minoribus, ita ut quo qua recentior sit fabula, eo ampliores exhibeat strophas carminum. — hoc autem artificium quid sibi voluerit siquidem ex musica arte interpretandum est, difficillimum est ad explanandum. tamen hoc quidem ipsi nos intellegimus:

στροφή est *μέλος*, igitur pro praecisis atque exiguis cantibus posuit poeta longissimos, pro simplicibus multiplices atque varios. in his enim strophis perlongis multo saepius poterant flectere cantum, *στρέφειν τὸ μέλος*, quam in simplicibus illis priorum temporum. iam cum hoc ipsum Euripideae aetatis poetis dithyrambicis studium fuisse constet qui pro carminibus *ἐν ἀντιστρόφοις* posuerunt *ἀπολελυμένα*, Euripidem cum pro pusillis illis strophas componeret longissimas, stasima similia reddere voluisse solutis dithyramborum nomorumque cantibus pro certo affirmo.

2. De anapaestis lyricis carminibus antepositis vel insertis.

Parodos tragoediarum non raro eo differe voluerunt a stasimis Aeschylus atque Euripides quod plura singulis copulaverunt carmina chori parodi loco posita. accedit hoc alterum quod interdum cantica nunc maiora nunc minora choricis ipsis quasi procemia antecedere, interdum eis quasi instricta esse voluerunt poetae recentiores, anapaestos dicimus a coryphaeo recitatos. de quibus etiamsi non ita multa tradere nova, tamen accuratius possumus referre quam viri illi doctissimi qui metricam artem se docere profitentur (Roßb.-Westph.[2] p. 412, Christ. p. 259). sed hic quoque nisi prius Aeschyli artem consideraverimus, de illis recte iudicare non poterimus, siquidem solus Aeschylus non solum parodis sed etiam stasimis ac commis subinde addidit coryphaei anapaestos. agatur priore loco de anapaestis stasimorum (Suppl. 630 Pers. 548. 633 Sept. 832 Ag. 367

Eum. 321), commorum (Pers. 932 Choeph. 315), canticorum Choeph. 722 Pers. 155.

locis quos adscripsimus omnibus antequam carmen modulari exordiantur cuncti, unus progressus prologum habet anapaesticum. prooemii munere hos fungi versus cum inde elucet quod poeta ipsi illi carmini eos praemisit, tum sententiis quibus instruxit. namque continent fere verbum quo dux eum ipsum inchoare comites iubeat cantum qui insequitur. quodsi hos versus illo recitante choreutas ad choream se parasse ac constitisse patet, hanc fuisse causam cur condiderit eos poeta forsitan suspiceris. at curnam illa tantum antegrediuntur carmina chori cum ipsa re scaenica requirerentur? haec igitur ecqua re ceteris antestent, examinandum est. — sententiis ornata sunt his. stasima Suppl. 630 Ag. 367 nomis sacris assimulata structura (cf. p. 34) exhibent alterum Supplicum pro Argivis precationes gravitate conspicuas, alterum senum Troiae captae gratulationem; Eum. 321 ut illa instructum ephymniis *δέσμιος* est *ὕμνος* quo fascinare student Furiae Orestem. Pers. 548 Persae Darei regis umbram rite ex inferis excitant; Pers. 633 Sept. 832 *θρῆνοι* sunt numeris (cf. Wil. Com. metr. II, 32) sententiisque severi. ergo quae sententiarum vel sublimitate vel austeritate insignia sunt stasima, ea amplificata leguntur prooemiis anapaesticis. ergo anapaesti ipsi per quos a dialogo pedestris sermonis propinquiore apte transibat poeta ad carminis sollemnitatem, huic sunt ornamento. prologo utitur quo augeat cantus gravitatem, non choreutas se parare vult ad saltandum, sed eos qui adsunt ad audiendum. — notata praeterea carm. Choeph. 722 Pers. 155 perexiguis quidem praedita prologis, exiguis etiam ‘logis’, tamen utroque altius quodam modo tractatur argumentum: precantur Choephoroe, Persae Matrem Xerxis appropinquantem, *θεῶν ἴσον ὀφθαλμοῖς φάος*, consalutant. verum argumento neque haec esse possunt neque commus Pers. 932; coryphaeus enim cum Xerxem regem compellet anapaestis vulgaribus, germanum commi prooemium, v. 922—31, alteram illam speciem exhibens, quos Hermanno duce spondiacos appellamus, quin toti choro dandum sit, nullus dubito. magni autem ducimus momenti quod commus ab Oreste Electra choro ad Agamemnonis tumulum cantatus praeluditur (ac disponitur) ducis anapaestis [1]).

[1]) si tenetur ordo stropharum traditus (cf. p. 38) ita dispositus legitur ut anapaesti antecedant stropharum triadem quas cantant Orestes chorus Electra. quater igitur prooemii loco sunt. inde a v. 422 altera incipit pars prooemiis carens.

Sophocles et Euripides prologos ex anapaestis compositos stasimis numquam praemiserunt [1]) (sicut in Prometh. fabula nusquam reperiuntur): maiestatem epigoni fugiunt. at valde gavisus sum cum vidi in satyrica fabula quae una nobis tradita est semel (Cycl. 483—94) cantiunculae, κώμῳ illi ridiculo Cyclopis satyrorumque, praeludere coryphaeum per anapaestos. cave autem credas hac tandem re argumento nos posse uti ut Kaibeli (Herm. 1895, 85) fulciamus sententiam Cyclope antiquiorem Euripidis fabulam exstare negantis: aliis legibus satyri subiecti, aliis tragoedi, in comoedia vero prologi illi usitatissimi (cf. p. 67).

progredimur ad parodos. anapaestos exhibent parodi Aeschyleae Suppl. Pers. Ag.; Eumenidum Orestem investigantium epiparodo (244), brevi carmini atque astropho, uti stasimis nonnullis (cf. p. 55 q. s.) prologus iambicus pro anapaestico praemissus est aptior huic loco, huic argumento. — Septem vero parodi strophicae parti quo melius depingeret feminarum

---

[1]) sed commaticis illis anapaestis quibus histrionum renuntientur introitus tum potissimum utuntur cum aut subsequitur aut antecedit histrionis chorive cantus. igitur ad sententias quidem novum per ea instituitur episodium, ad numeros vero modo praeludunt aut claudunt (**a**) modo et praeludunt et claudunt (**b**), per quos transitus fiat aut a trimetris ad canticum vel a cantico ad trimetros (**a**) aut a chorico ad histrionis cantum (**b**). numerari Klotzi (de vers. anap. Lips. 1869 p. 6) numeros digerens ac supplens ducis systemata ante scaenam lyricam apud Soph. 2 Eur. 5, ante trimetros sed post scaen. lyr. apud Soph. 3 Eur. 8 (**a**), ad quae nunc accedit systema Hypsipyl. The Oxyr. Pap. VI p. 39 in fine, intra choricum et ἀπὸ σκηνῆς vel commum Soph. 1 Eur. 7 (**b**). bis tantum histrio scaenam ingressus anapaestis salutatur medio in diverbio positis Antg. 526 Eur. El. 988 (Clytaemestram enim insolentia inflatam eadem de causa sollemniter salutari Euripides voluit de qua Aeschylus Agamemnonem Ag. 783) — ceterum hunc praefandi modum rarissimum apud Aeschylum (qui hoc modo renuntiat praeter Agamemnonis adventum Reginae et Xerxis Pers. 150. 918) Sophocles prioribus temporibus mirum quantum in deliciis habuerit: Antg. enim exhibet 6, post Antg. 1 solum exstat exemplum: O. R. 1297; inde a 420 histrio ipse habet anapaestos: Trach. 971 Phil. 1409; cf. O. C. 886. coryphaei systemata Euripides rarius usurpavit poster. temp., histrio canit Alc. 28 Hipp. 1283 (praeter Alc. 861). hunc tragicorum morem in risum deflexit Aristoph. Lys. 1072. — pro anaepaestis trimetri iambici inde ab Aeschyli temporibus, ultimis demum tetrametri trochaici ponuntur: O. C. 886 histrio, Phoen. 1307 Or. 1549 chorus post canticum; histrio iam per iambos indicatus recitat tetram. ante canticum Phoen. 1355; et anapaesti et tetrametri leguntur Ion 1246 — Sophocles solus vel in ipso cantu exeunte animos ad novum advertit episodium (El. 1429 Phil. 202 — Trach. 223. 962).

angorem tumultu excitarum, poeta praelusit dialogo dochmiaco[1]). Choephoroe sola parodum habet prologo carentem.

causa cur parodum systematis anapaesticis poeta adornaverit quae olim nulli non antecessisse veri simile est, non posse videtur esse eadem atque quam paulo ante vidimus valentem: hos anapaestos aptissimos fuisse sentimus ad quos gradus inferrent in orchestram; at causa cur tam amplos poeta composuerit, eadem est. id inde neutiquam consequitur quod in itinere recitabantur, fieri enim nequit ut in Ag. per tempus quod consumit dux recitans versus 103 chorus introeat scaenam nec fit, ut docent verba (cf. p. 62 q. s). verum longi illi ordines respondent canticis amplitudine singularibus, tam amplos eos composuit ut augeretur parodi vis, primi chorici, fabulae vel etiam trilogiae prooemii.

praeter illas Aeschyleas Alc. et Aiacis parodos solas hos quidem exhibere anapaestos etsi nemo ignorat, tamen operae pretium est paulo accuratius huius parodi conscribere historiam. hae seiungendae sunt formae:

I. Aeschylea parodi forma constantis a) systematis anapaesticis a coryphaeo recitatis b) cantico a choro solo cantato una in Aiace reperitur.

II. huic simillima Alcestidis constans a) coryphaei anapaestis numero multo minoribus b) chorico cuius strophas $\alpha\alpha'$ subsequuntur anapaesti hemichoriorum ducum inter se colloquentium. — insequitur Antigonae parodus a) carens prooemio b) chorici strophis anapaestis ducis (non ducum) amplificatis.

III. pro coryphaeo (vel coryphaeis) histrio habet anapaestos a) ante choricum b) post singulas chori strophas in Alcest. parodo altera

---

[1]) dialogum eum pepigisse, hemichoria vel potius duces hemichoriorum altercantes induxisse mihi constat. has seiungo partes: A 78—85 paveo metu: equitatus emissa, conspicio pulverem, sentio terram ungulis percussam [sed haec ultima prorsus incerta]. B 86—90 auxilium ferte, di et deae, hostes muros conscendunt. — A 91—95 at quis deorum dearumve nos servabit? cui supplicandum? B 96—98 tempus est complecti signa (quae sunt in scaena); quid cunctamur lamentantes! (pugnae tumultu subito crescente pergit) 100—102 audivistisne scutorum crepitum? nonne tempus ornare signa? — A 103—105 audivimus. Mars num nos prodes? B + A 106—7: serva Thebas! — iam se provolvunt ad pedes signorum. — Aeschylum secuti Euripides hemichoria inter se colloquentia in scaenam induxit in parod. Alc. Ion., Soph. in Aiac. epiparodo; hemichoria alterum post alterum canunt in par. Troad., duo chori in par. Suppl. Eur. ('Supplices' et ancillae) sicut in exodo Suppl. Aesch. ('Supplices' et ancillae). — in stasimis hemichoria praeter Alc. 213, Suppl. 598 non agnoscuntur.

(861), Medeae par. (cuius *προωιδόν* (131) respondente sententia quidem *ἐπωιδῶι* (204) ipsam quoque compositam esse ad exemplum prologi ducis animadvertit Bethius Prol. 166[1]).

forma II — commus choricus, ut Aristotelis utar significandi ratione — et forma III, commus proprie dicendus, pro forma I, chori carmine coryphaei prologo instructo, eo facilius poterant substitui quod ultimis Aeschyleae artis temporibus hic ipse commus semianapaesticus in usum poetarum venerat: forma II reperitur Choeph. 314 (coryphaeus post stropharum triades quarum singulae chori sunt anapaestos recitat), forma III Eum. 916 Ag. 1448 (illic Minerva, hic Clytaemestra anapaestos habet strophis chori ephymniis auctis ex parte ipsis quoque anapaesticis). atque in Aiace dialogus Tecmessae et chori eandem praebens formam commi parodum ipsam subsequitur[2]). verum hoc contendere non iam ausim, quamquam mihi persuasum est, fieri non potuisse quin tertia species nasceretur ex altera ita ut ex forma parodi sola hic fabularum ordo sit concludendus: Aiax Alc. (438) Antg. Medea (431), quoniam non ita magnum erat commum qualem invenimus in Aiace post parodum ponere pro parodo ipsa neque hoc ut perficere possent opus erat poetis specie altera. at formas II et III perquam esse propinquas liquido apparet. illud eo minus audeo contendere quia Aiax Alc. Ant. iisdem fere attribuendae sunt temporibus. sic enim concludamus necesse est:

1. Aiax et Alc. eodem fere anno actae, cum solae ex omnibus fabulis Soph. et Eur. in parodo coryphaei anapaestos praebeant ante choricum.

2. Alc. et Antg. eodem fere anno actae, cum solae coryphaei (vel coryphaeorum) anapaestos exhibeant post chori strophas singulas.

ergo Aiax Alc. Antg. eidem attribuendae artis dramaticae aetati (440—31). idem aliis argumentis usus ostendit Wil. Gr. Tr. III, 95^2. 96^1.

---

[1]) at hos versus lyricos a coryphaeo cantatos esse unde sciat, ego ignoro.

[2]) scitu non indignum commum semianapaesticum quem vocavi his adhibitum esse locis: praeter Orestiam (Ag. 1448 quo in cantico anap. respondent inter se cf. Sept. 879 Choeph. 314 Eum. 916) Aiac. 201 Antg. Par., 806 Alc. Par., epipar., 273 (semel pro anap. trimetri) Andr. 501 Med. Par.; accedunt parodi Phil. O.C. liberius quodammodo compositae. hac igitur simplicissima atque severa commi forma Euripides non usus est nisi in Alc. Andr. Med. mirum autem est quam finitimae sint scaenae Antg. 806 Alc. 273 Andr. 501 quae legantur sic dispositae: 1.) choricum (monostrophum in Antg. Alc.) 2.) anapaesti coryphaei 3.) feminae quae ad mortem ducitur cantus strophice compositus ($2^1/_2$ strophas cantat et Alc. et

atque nunc tandem tempus Prometheum iniungere, quippe cuius fabulae parodus ea instructa sit forma quae in usu Euripidis fuit intra annos 438—31 [1]), nam solae epiparodus Alc. (861) par. Med., Prom. compositae sunt hac ratione:

1. histrio anapaestos recitat.

2. chorus cantat strophas lyricas illo singulis strophis subiungente anapaestos.

Alc. epiparodum comparare cum parodis ipsis minime dubito, ut quam suo arbitrio componere non minus licuerit poetae quam parodum (velut Hel. 515 Helena cum choro in scaenam reversa is solus cantat carmen astrophum illa post canticum suscipiente verba), neque id curo quod Promethei monodia praeter anapaestos non nullos exhibet baccheos (115) iambos lyricos (116—17) trimetros (118—19); huic enim versuum moreto quod simile sit neque apud Aeschylum reperitur neque apud recentiores (Beth. p. 163); quamquam Wilamowitzius quidem quia singularis sit totius parodi forma, ea de causa singularem eam putat antecedere monodiam. post autem annum 431 haec quidem forma non iam exstat [2]), sed ipsa quoque progeniem procreavit. nati sunt ex ea 1. commi e meris compositi anapaestis: par. Hec. (maxima ex parte) Troad. Iph. T. 2. commi lyrici: Electr. Soph. Eur., Hel. Hypsipyl. Or. (Andromeda, Alcm. Cor.). Hecubae vero parodus antiquiori illi eo inprimis similis quod cantico chori quasi rescisso coryphaeus solus ῥῆσιν anapaesticam habet propinquam Agamemnonis parodo. — Sophocles autem ultimis vitae suae temporibus forma illa annorum 440—30 (III) usus est ita variata ut anapaestis ante choricum sublatis anapaestorum chori strophis prioribus postpositorum participaverit et coryphaeum et histrionem vel histriones. sic ortum est canticum multa in commata quasi discerptum (par. Philoct. O. C.).

Ant!); post strophas singulas histrionis (Alc. Andr.) vel coryphaei (Antg.) anapaestica systemata, iambis insequentibus in Antg., antecedentibus in Alc. hinc quid sequatur, lector sentit. cf. p. 42.

[1]) Beth. Prol. p. 167 iudicat: die parodus des Prometheus kann in der uns vorliegenden form erst aus den zwanziger jahren frühestens stammen — argumenta quae affert aut nihili esse crediderim aut contraria ei quam ipse edidit sententiae.

[2]) Rhesi fabulae auctor quem antiquiores inprimis Sophocleas tragoedias imitatum esse constat, anapaestici prologi histrionem quoque participem reddidit.

hoc de Prom. fabula notato quod quam grave sit hac dissertatione exponi nondum potest, ad aliam transimus cuius non minus interest definire annum.

Oed. Regis fabula quando acta est? sane audacius est inde quod parodus anapaestis vel ante vel intra carmen collocatis careat colligere actam eam esse post Ai. Antg., siquidem iam Choeph. a prologo anapaestico, iam Sept. ab anapaestis nudatas vidimus parodos. hoc igitur loco iterum notamus tantum O. R. formam parodi differentem ab illarum eam esse quae (praeter Andr. Phaeth.) inveniatur in Trach. Hipp. Suppl. Herc. (Phoen. Bacch. Iph. A).[1])

assecuti sumus haec. stasimorum prologos anapaesticos quos Aeschylus haud raro composuit minores poetae numquam adhibuerunt, parodis priorum fabularum subinde praemiserunt, mox vario modo cum carmine ipso coniunxerunt vel etiam omiserunt.

iam vero exsistunt quaestiones llae gravissimae quaenam intersit ratio inter prologorum carminumque sententias quaeque sit origo prologorum.

iterum ordimur a stasimis.

pro prologis choricorum anapaestos haberi voluisse Aeschylum ex sententiis intellegitur quas eis iniunxit. continent enim fere (uti diximus):

1. coryphaei verbum ad ipsum cantum inchoandum exhortantis choreutas.
2. argumenti chorici renuntiationem.

1. adhortationis duae reperiuntur formae:

a) Suppl. 625 *ἄγε δὴ λέξωμεν ἐπ' Ἀργείοις*
εὐχὰς ἀγαθάς . . .

Eum. 307 *ἄγε δὴ καὶ χόρον ἅψωμεν, ἐπεὶ*
μοῦσαν στυγερὰν ἀποφαίνεσθαι δεδόκηκεν.

cf. Choeph. 719
εἶεν φίλιαι δμωίδες οἴκων
πότε δὴ στομάτων
δείξομεν ἰσχὺν ἐπ' Ὀρέστηι;

---

[1]) at cum de compositione stasimorum acturi simus, ostendemus chorica Promethei (praeter stas. 399) c. a. 431, O. R. post a. 430 condita esse (cf. p. 42[2]).

b) Pers. 545 *(αἱ Περσίδες)*
πενθοῦσι γόοις ἀκορεστοτάτοις
κἀγὼ δὲ μόρον τῶν οἰχομένων
αἴρω δοκίμως πολυπενθῆ (i. e. *τὸ πένθος τὸ τοῦ μόρου)*
625 *σύ τε πέμπε χοὰς...*
ἡμεῖς θ᾽ ὕμνοις αἰτησόμεθα.

prioris consimilis comarchi iussus Cycl. 492 quem sic edunt
φέρε νιν κώμοις παιδεύσωμεν
τον ἀπαίδευτον,

at mihi quidem frigidum videtur copulare *νὶν* et *τὸν ἀπαίδευτον,* nil mutamus pervulgatum restituentes sermonem[1])
φέρε νυν κώμοις παιδεύσωμεν
τὸν ἀπαίδευτον.

utraque forma more ut sentimus antiquissimo diserte planeque pronuntiatur: explicit diverbium, canticum incipit. aptiorem si vis sed recentiorem legis Sept. 822 quamvis corrupti mutilique sint versus. coryphaei enim verbis quasi dubitantis
ὦ Ζεῦ... πότερον χαίρω κἀπολολύξω
πόλεως †ἀσινεῖ σωτῆρι†
ἢ τοὺς μογεροὺς... κλαύσω πολεμάρχους;

transitum fieri apparet ad threnum in ipsos hos *πολεμάρχους* cantatum.

pro anapaestis vel etiam praeter anapaestos dialogi numeris continuatis ut histrionis introitum ita vel chorici exordium iambico prologo parvulo ducem pronuntiantem induxit poeta his locis: in Eum. Furia antequam ceteras incitet ut ad saltandum se accingant verbis quae modo exscripsi, Oresti affirmat (304)
ὕμνον δ᾽ ἀκούσῃ τόνδε δέσμιον σέθεν.

Ag. 351 ordo versuum is ut iambis (quos compares velim cum anapaestis Pers. 625)
γύναι, εὐφρόνως λέγεις (Clytaem.)
ἐγὼ δὲ... θεοὺς προσειπεῖν εὖ παρασκευάζομαι (b)

---

[1]) cf. e. g. Aristoph. Vesp. 1516 (in initio exodi) *φέρε νυν ἡμεῖς αὐτοῖς ὀλίγον ξυγχωρήσωμεν ἅπαντες...* *ἄγε νυν* e. g. Thesm. 947 Av. 1744 Ran. 382 (cf. p. 67 q. s.). in dialogo Aristophanes *φέρε νυν* et *ἄγε νυν* saepissime utitur ut novam quandam sententiam (vel etiam fabulae partem) instituat cf. e. g. *φέρε νυν* Vesp. 54 (incipit prologus qui proprie dicitur) 827. 848. *ἄγε νυν* 211 (instituitur parodus) 1174. 1264 (cf. 1516).

praeludatur anapaesticum carmen hanc continens invocationem (*ὦ Ζεῦ βασιλεῦ* . . .), hoc vero ipsum prooemii munere fungatur stasimi insequentis (cf. p. 49). utroque vero loco prologo priore cum histrioni tum spectatoribus exponitur qui fiat ut hoc loco (scilicet Argis ante regiam Agamemnonis, Athenis ante aedem Minervae), hoc tempore recitetur — stasimum, altero ea sola de causa adiuncto ut choricum ipsum amplificetur[1]). — pro anapaestico iambicus est Choeph. 931 Eum. 140, quibus locis priusquam canere possit exordiri, colligendus est chorus. verba *αἱρούμεθα ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν* (Choeph. 933) et *ἀνίστω, ἰδώμεθ' εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματαῖ* (Eum. 141) cum non ita aliena sint ab adhortatione sollemni, priorem quodammodo agnoscimus indicendi rationem. — Suppl. 1014 prœmium non est.

geminatis illis propinquus prologus iambicus Pers. 623.

imperat Regina 619	respondet coryphaeus 624
χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων ὕμνους ἐπευφημεῖτε	*σύ τε πέμπε χοὰς*
γαπότους δ' ἐγὼ τιμὰς προπέμψω.	*ἡμεῖς θ' ὕμνοις αἰτησόμεθα.*

pro coryphaeo iambos recitat histrio, ille huius repetit verba; causa cur duos composuerit poeta eadem. — accidit etiam ut solus histrio chorum stasimum aggredi iubeat (Suppl. 520. 772 Sept. 265. 280).

unum iuvat addere: subinde ipsius chorici principium similiter atque anapaestorum ita significari et quasi ornari poeta voluit ut parvulae quodammodo praefationis vice fungatur. haec tecum reputes initia

Suppl. 40 *νῦν δ' ἐπικεκλομένα Δῖον πόρτιν* . . .
— 630 *νῦν ὅτε καὶ θεοὶ Διογενεῖς κλύοιτε* . . .
Choeph. 783 *νῦν παραιτουμέναι μοι . . . Ζεῦ . . δός* . .
Pers. 548 *νῦν* [*γὰρ* Porson] *δὴ πρόπασα στένει γαῖ' Ἀσιάς* . . .
Eum. 490 *νῦν καταστροφαὶ νεῶν θεσμίων εἰ κρατήσει δίκα τοῦδε* . . .

---

[1]) Sept. fab. trimetros 820/21 anapaestis praeeuntes coryphaeo tribuit Wil. (Schlußszenen II, 11) collatis iambis Ag. 351 anapaestis continuatis. at hic (sicut Eum. 304) poeta per iambos coryphaei transit ad anapaestos, in Sept. fab. coryphaeus quasi repeteret nuntii suaque ipsius verba (815—17; 812—13), transitus vero non esset. itaque Bruhnio (Antg. p. 2) astipulor vers. 820—21 pro 14—19 compositos autumanti ab eo qui exodum qualis nunc legitur fabulae affixit. hoc accepto vel id explicatur qui sit factum ut vers. 820 legatur etiam post 803: in margine duo illi adscripti et huc irrepsere et illuc. cetera recte administravit Grossius (Stichomythie p. 19; at Bruhni sententiam parum diligenter rettulit p. 21.)

quamquam haec *νῦν* varias exprimunt sententias: Supplices Choephoroeque a diverbii prologorumve humilitate hoc transeunt verbo ad precationem sollemnem, Persae ex eis quae audierunt colligunt (*δή*) eo iam esse perventum ut tota Asia in luctu sit, simile quid praesagiunt Furiae. — atque hinc illustrari posse duco versum illum coryphaei Choeph. 719

πότε δὴ δείξομεν ἰσχὺν ἐπ' Ὀρέστηι;

cui quasi respondendum est

νῦν δὴ δείξομεν.

Sophoclis autem atque Euripidis ut spernunt procemia anapaestica, ita iussu ducis histrionisve indici carmen minime refert. nulla praesto mihi sunt exempla praeter Trach. 202 Alc. 424 (monet histrio) Herc. 761 (dux per iambos) Or. 1353. cuius rei causa in diversissima poetarum ratione posita est compingendi chorica: Aeschylus ut stasima componit vel ad sententias artissime cohaerentes cum fabulae actione, ita causas appetit vel etiam fingit cur chorus constans senibus virginibus Furiis repentino convertatur ad cantandum; id quod posterioribus temporibus tam usitatum videbatur ut quam mirificum esset prorsus oblivviscerentur. consulto autem criminamur poetae summo ipsum interdum causas cum argumento non praeberentur parum apte assumpsisse. nam Suppl. 520 Rex exiturus ut populum convocet, chorum admonet verbis

πρὸς ταῦτα μίμνε καὶ θεοὺς ἐγχωρίους
λιταῖς παραιτοῦ τῶν σ' ἔρως ἔχει τυχεῖν.

cur hoc dicit? quid eum movit? nil, sed poeta hoc eum proferentem fecit quo apte adnecteret stasimum.

2. carminis argumentum praenuntiatur.

quid insit in chorico, haud raro ipso coryphaei histrionisve iussu continetur; legimus e. g. *λέξωμεν εὐχάς*, *αἴρω μόρον πολυπενθῆ*, *δείξομεν ἰσχὺν ἐπ' Ὀρέστηι*, imperat Rex *παραιτοῦ τῶν σ' ἔρως ἔχει τυχεῖν* multo minus definite loquente Euripide (Herc. 761) *πρὸς χοροὺς τραπώμεθα.* quantum vero Aeschyli quidem interfuerit praesciscere audientes quid esset tractaturus, inprimis ostenditur vers. Eum. 307 q. s. adiunxit enim iussui

ἄγε δὴ καὶ χορὸν ἅψωμεν, ἐπεὶ
μοῦσαν στυγερὰν
ἀποφαίνεσθαι δεδόκηκεν

verba *λέξαι τε λάχη τὰ κατ' ἀνθρώπους*

ὡς ἐπινωμᾶι στάσις ἁμά (forma *λέξωμεν* infinitivo praecedenti assimulata), ut chorici sententias praemoneret. —

eo vero modo certiores fieri spectatores cum saepe non satis esset poetae, anapaestos ita administravit ut summam stasimi vel totius vel prioris saltem partis breviter adstrictam recitantem faceret unum. ita hoc uberius explicantur quae leviter tetigit prologus.

stas. Pers. 633 stropharum paribus compositum 3 ½ hanc unam fere continet sententiam: Daree, evade ex inferis! certe id ut cantaret Regina choro imperaverat (620). at iam antequam cuncti precentur

coryphaeus	illi repetunt
ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί, inquit,	*α' ἀλλὰ σύ μοι Γᾶ τε καὶ ἄλλοι*
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ βασιλεῦ τ' ἐνέρων	*χθονίων ἁγεμόνες... πέμπετ' ἄνω*
πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὴν ἐς φῶς ...	*β Ἀιδωνεὺς δ' ἀναπομπὸς ἀνείης (Δαρεῖον).*

Ag. 351 non satis habet coryphaeus pronuntiare mox canere coepturum chorum, verum ipse per anapaestos Iovi gratias agit quod exstinxit Troiam ultus Alexandrum. haec ipsa autem sententia multo magis sane elaborata atque exornata priori stasimi parti (*α—α'*) inserta est ita ut comites quasi respondeant se assentiri duci.

coryphaeus	choreutae
Δία τοι ξένιον μέγαν αἰδοῦμαι	*α* princ. *Διὸς πλαγὰν ἔχουσιν εἰπεῖν.*
τὸν τάδε πράξαντ' ἐπ' Ἀλεξάνδρωι..	*α'* fin. part. prior. *Πάρις ἐλθὼν ἐς δόμον τὸν Ἀτρειδᾶν ᾔσχυνε ξενίαν τράπεζαν...*

Eum. 321 post versus quos attuli quibus princeps Furiarum se enarraturas promiserat *τὰ λάχη μοῦσαι στυγερᾶι,* ipsa de sorte sua nonnulla praefatur: *εὐθυδίκαιοι* sunt, favent iustis, iniustos castigant: atque haec ultima quidem sententia bis (*α', γ*) profertur in chorico subsequenti.

luculentissimum vero exemplum praebetur vers. Pers. 532 q. s. coryphaeus: Iuppiter, inquit, Persarum exercitum perdidisti! (32—34), choreutae strophis *αα'* fusius agunt de interitu peditatus classisque, de miseria Xerxis. pergunt, ille: lamentantur feminae (535 q. s.), hi: et nos lamentamur (*β*) et uxores parentesque (*β'*). itaque quamquam singula non congruunt atque tertio stropharum pari sententia adiungitur plane nova, tamen chorum consequi ducis vestigia manifestum est.

restant systemata Suppl. 625 Sept. 822. illo dux prorsus similiter

ac Pers. 628 praeit choro deorum invocationem (cor.: *Ζεὺς ἐφορεύοι* — quo de verbo vide Ziegleri de precationum formis dissertationem p. 71 — *τιμὰς τέρμον' ἀμέμπτους* (Schwartz: *ἀμέμπτων*) *πρὸς ἅπαντα* chor.: *θεοὶ Διογενεῖς κλύοιτ' εὐκταῖα χεούσας*), hoc tam exiguum sequitur canticum cui argumentum paene non sit.

uti verba quibus indicitur choricum poetam subinde attribuentem vidimus diverbii iambis, ita sententias quoque chorici haud raro histrionem fecit disponentem. cuius artis ne longiores simus duo tantum notamus exempla ex Eum. fabula petita (epirrh. 916. 778).

tandem persuasit Furiis Minerva ut accipiant sedem in Acropoli

Χορ. θέλξειν μ' ἔοικας καὶ μεθίσταμαι κότου.
Ἀθ. τοιγὰρ κατὰ χθόν' οὖσ' ἐπικτήσῃ φίλους.
Χορ. τί οὖν μ' ἄνωγας τῇδ' ἐφυμνῆσαι χθονί;

hi versus num recte se excipiunt? *οὖν* illud num recte positum est? quid? Minerva speravitne Furias *ὕμνον* cantaturas pro Athenis quae non diutius se iraturas esse quasi invitae (*ἔοικας*) versu antecedente concesserint? num potuit sperare? non potuit, nec recte positum *οὖν*, tamen versus vitii esse immunes facile concedes modo reminiscaris vers. Suppl. 517/18 qui supra allati sunt. et illic et hic poeta transiturus ad cantum insequentem eius sententias iam ab histrione proferri ac quasi disponi voluit. perfecto enim transitu illo Minerva quasi praesciverit talia ex se quaesitum iri, diligentissime quae cantari cupit choro exponit. quem restricte observare deae praecepta ipse videas:

	optari iubet dea		optat chorus
904—6	tempestas serena sit ac fecunda[1]).	*α*	Sol faveat Terrae, ut fructus edat.
907—8	ne terra pecora fructum ferre umquam desinant.	*α'*	fructuosa sint arbores pecora metalla.
909	hominum progenies conservetur.	*β*	procul esto pestis, Fata virginum matrimonia tueantur.
910	impii finibus expellantur.	*β'*	discordia ne moveatur civitas[2]).

[1]) perperam interpungitur post *οὐρανοῦ τε.* quattuor distinguuntur elementa *γῆ, ποντία δρόσος, οὐρανός, ἄνεμοι* sicut Choeph. 585 *γᾶ, πόντιαι ἀγκάλαι, πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάοροι* = *οὐρανός* („des himmels wolken blitzesschwanger"), *ἀνεμόεις αἰγίδων κότος* (cf. Wil. ad h. l.; Emped. fr. 38 D *γαῖα, πόντος πολυκύμων, ἀήρ, αἰθήρ*). *οὐρανός* et *ἄνεμοι* praepositione *ἐκ* ante *οὐρανοῦ* tantum posita artius copulati sunt. recte vertit Wil.; elementa omnia solibus tacta calorem spirare dea vult qui agro (*χθόνα*, non *γῆν*) pervehatur.

[2]) quomodo cohaereant vers. 910—12 cum stropha *β'*, ostendit Wil. Arist.

examussim fere chorici strophae respondent ad histrionis trimetros. nam quod de frugibus iam stropha α agitur, ut Terra fertilis sit Minerva ipsa quoque primo voto optaverat (906). verum uberius est choricum: *σπ'ρματος σωτηρίαν* requirit dea, illae orant ut serventur viventes, stirps ne umquam desit; in prologo rogatur *καρπὸς γαίας,* Eumenides largiores sunt ut quae fruges poma argenta optent Athenis. — atque hanc sententiarum structuram tam politam tamque artificiosam non poterat perficere poeta nisi uno quidem dialogi loco filum sententiarum diruperat.

alia ratione non minus autem curiose prolusit epirrhematico priori. Minerva de Furiis praenuntiaverat (477)

μὴ τυχοῦσαι πράγματος νικηφόρου
χώραι μεταῦθις ἰὸς ἐκ φρονημάτων
πέδοι πεσὼν ἄφερτος αἰανὴς νόσος.

Apollo increpuerat (729)

σὺ τοι τάχ' (!) οὐκ ἔχουσα τῆς δίκης τέλος
ἐμῆι τὸν ἰὸν οὐδὲν ἐχθροῖσιν βαρύν.

chorus responderat

ἐπεὶ καθιππάζηι με πρεσβῦτιν νέος.

non male vaticinati sunt deus et dea. vix Minerva Orestem renuntiavit victorem, cum Furiae ipsis illis verbis (778)

ἰὼ θεοὶ νεώτεροι, inquiunt, *παλαιοὺς νόμους*
καθιππάσασθε . . .
ἐγὼ δ' ἄτιμος . . .
ἐν γᾶι τᾶιδε, φεῦ,
ἰὸν ἰὸν ἀντιπενθῆ μεθεῖσα καρδίας
σταλαγμὸν χθονὶ ἄφορον.

sic poeta cui iam pridem gravissimi huius epirrhematici formam obversatam esse consentaneum est, audientium animos quasi praeparaturus argumentum ei ipsi praemisit.

verum de stasimorum anapaestis satis egimus; porro inquirendum quaenam inter parodi prologum anapaesticum atque choricum subsequens intercedat ratio. id enim sane eis commune est cum illis quod ad ipsorum quoque sententias respondent saepe sententiae carminis; etiam id quod carmine explicatius tractantur subinde quae illi breviter perstrinxerunt.

---

u. Athen II, 341. — id qui intellexerit vers. 858—66 post 912 quo relegati sunt a Weilio neutiquam ferri posse videbit. at illic num suo loco stent, hanc intactam relinquimus quaestionem.

at nusquam coryphaei reperitur adhortatio qua transitus fieri solebat ad chori cantum. immo transitus omnino non est, absolutum est canticum utrumque altero quasi opposito alteri. quo cum accedat quod hi anapaesti multo maiores numero quam stasimorum non prooemium esse videntur sed carmen unum ac totum, structura quaedam comparet *ἐκ παραλλήλου* ita ut choricum ipsum si sententias quidem respicis supervacaneum esse videatur.

at excipienda parodus Sept. f. cuius pars prior singularis vel forma numerisque quin alteri subiuncta sit, dubitari nequeat. virgines enim precationem quam instituunt illa, exigunt hac (cf. p. 51), tamen tantum abest ut quicquam desideraremus si altera pars non recitaretur, quoniam quae in hac insunt preces iam continentur carmine astropho (86. 106), ut vel singula prorsus similia exhibeant. in utraque equitatus describitur strepitus (79—85 ∾ 122—24), in utraque illa legitur sententiae forma qua deorum deive comprehendatur invocatio quasi excitata tumultu pugnae subito augescente:

prologus	carmen
103—5 (∾ 86—90 ∾ 100—2)	152—55 (∾ 159—60 ∾ 161—2).

attamen uti diximus hic in unum constrictae leguntur partes. transitur per Martis invocationem (106/7) strophico cantu quasi continuatam (109; eadem copula ac Suppl. 627 Pers. 628).

discissae autem sunt parodi instructae anapaestis. atque Supplices post chori Danaique explicatas personas (1—14) primum se ad Argum appulisse enarrant quoniam ex Ius sint progenie (15—22), deinde Tellurem implorant, deos superos inferosque, inprimis Iovem, ut se ipsas conservent, Aegyptios perdant (23—39). ecce fabulae argumentum expositum apte atque concinne. nil nescimus quod necessarium est ad actionem recte percipiendam. iam Danaum accessurum conicimus ad chorum. at aliud voluit poeta. perlongum addidit choricum quod actioni minime conducat. eodem enim pervenimus exeunte chorico ubi fuimus exeunte prologo. at qua tandem re explevit stropharum illa paria octo? uberrime ac copiosissime sententias modo prolatas exsequitur: chorus Epapho invocato ex Ius se esse progenie se demonstraturum affirmat ($\alpha\alpha'$, nisi vero fallimur verbis miserrime corruptis), lamentatur (β—γ), deos implorat (γ'), inprimis Iovem, cuius praedicat potestatem (γ'—ε'); carmine instructo ephymniis iterum singuli invocantur di et deae (Tellus α, Iuppiter β, Diana—Hecate — de qua cf. Wil. Herm. 21, 609 — β', tertium

Iuppiter ephymn. γ.) — tandem appropinquat Danaus novi aliquid afferens. in precationem exit carmen, in precationem anapaesti, at inter horum finem illiusque principium hiatus est, non transit poeta sed transilit ad chori cantum id quod testatur *νῦν δέ* illud supra (p. 56) expositum. itaque solutum est vinculum quo stasimi anapaestos semper adhuc coniunctos vidimus cum chorico.

haec vero Aeschyli ars ex Persarum quidem parodo tam clare elucet ut verbis fere omnino parcentibus hanc nobis liceat proferre sententiarum tabulam.

anapaesti	choricum
(A) exponitur chori persona qui est *Περσῶν τῶν οἰχομένων Ἑλλάδ' ἐς αἶαν πιστά.*	*(A) πεπέρακεν ὁ στρατὸς εἰς ἀντίπορον χώραν* (α), exercitus (α = 19, 20) rex describuntur (α'—δ).
(B) 8 *ἀμφὶ νόστωι τῶι βασιλείωι ὀρσολοπεῖται θυμός.*	*(B) μελαγχίτων φρὴν ἀμύσσεται φόβωι* (ε').
(A) 12 *πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενὴς ὤιχωκε,* gentes, arma, enarrantur.	*(A) πᾶς γὰρ λεὼς ἐκλέλοιπεν* . . . (ζ)
(B) 61 *οὓς πέρι πᾶσα χθὼν Ἀσιᾶτις πόθωι στένεται, τοκέες τ' ἄλοχοί τε τρομέονται.*	*(B) Περσίδες ἁβροπενθεῖς πόθωι φιλάνορι* (*λείπονται*) (ζ').

elucet duo haec esse carmina, alterum epicum alterum lyricum atque hoc illius ad exemplar esse elaboratum ita ut in utroque hae sententiae se excipiant vice alterna: 1. abiit exercitus 2. angimur et nos et alii. transitus autem a priore ad alterum nullus.

atque iam tempus est fructum capere hac ex enumeratione: Agamemnonis aggredimur parodum. in qua id quidem primo obtutu cognoscitur hic quoque cantica composita esse *ἐκ παραλλήλου.* sic enim progrediuntur sententiae

anapaestorum	chorici
1. de Graecorum Troiam profectione (40—71) [de chori persona 72—82]	1. de rebus Aulide gestis stroph. α—θ
2. Clytaemestra compellatur ut de sacris a se ipsa factis certiorem faciat chorum.	2. epilogus iambicus (258—63) quo Clytaemestram compellat chorus ut de sacris se edoceat.

Agamemno et Menelaus

v. 43 comparantur cum duobus vulturibus	v. 108 comparantur (cf. 14) cum duobus aquilis.

Clytaemestra
eadem de causa appellatur

v. 83 atque v. 261.

at hoc obstupuere viri docti atque adeo doctissimi [1]. qui tandem fieri possit interrogavere ut idem bis quaeratur ex Clytaemestra, cur non respondeat priore iam loco. quos fortasse hoc vicissim licet interrogare qui factum sit ut vel principia canticorum eaedem teneant sententiae. at nunc quidem illos paululum consecuturi sumus. qui sic progressi sunt. Clytaemestra interrogatur v. 83, ergo adest in scaena. interrogata non respondet, ergo causa quaerenda cur non respondeat. chorus dis eam sacrificare affirmat, ergo tacet quia in sacris faciundis occupata est. atque haec tam aperta tamque recta videtur esse sententia ut nil esse conicias quo redargui possit. tamen falsissima est.

1. ut hoc largiamur reginam non reddere responsum ut quae sacra faciat, fieri non potest quin post v. 103 lacuna sit statuenda. nullo enim pacto cogitari potest chorum responso non dato ad choream se vertere non profitentem hoc ferme: video te occupatam, itaque opperiar dum finias precationem. an sic illi hoc actum ducunt ut chorus reginam reticentem conspiciens subito signis conversis saltare coeperit quasi deus nescio quis in mentem iniecerit: interrogari nunc non vult, itaque ne tempore abutamur interim paulum saltemus. — lacunam statuit Wilamowitzius, explevit illa quam requisivimus sententia.

2. tantum abest ut chorus Clytaemestram ipsam sacra facere dicat, ut ex verbis eius recte perceptis sententia evadat illi contraria.

τίνος ἀγγελίας, inquit, *πευθοῖ περίπεμπτα θυοσκεῖς;*
πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων ὑπάτων χθονίων,
τῶν τ' οὐρανίων τῶν τ' ἀγοραίων,
βωμοὶ δώροισι φλέγονται·
ἄλλη δ' ἄλλοθεν . . . λαμπὰς ἀνίσχει.

[1]) Schneidewinus, Blaydesius — Hermannus, Wilamowitzius. etsi Hermannus offendit rectissime in eo quod Clytaemestram per totum illud tempus sacra facientem putabant, per quod chorus cantat et partem quandam anapaestorum et duo carmina. quid ait? „deinde (post v. 103) videtur spectatoribus a dextra abire ut

misit (per alios) regina sacra, igitur non ipsa sacra facit, ardent in aris ignes, igitur non nunc tandem ex regia egressa ignes accendit. sacrificatum est in foro (*ἀγοραῖοι* enim *θεοί* sunt *ἐν ἀγορᾶι*) multisque aliis urbis locis, igitur cum ne uno quidem verbo commemorentur sacra in scaena quae choro sub oculis esse necesse erat, hic sacra non fiebant vel ut cautiores simus chorum vers. 86—96 de nullis agere sacris nisi de eis quae in urbe facta sunt, non concedi non potest. itaque in verbis poetae eorum qui Clytaemestram ante regiam sacrificantem putant sententia posita non est. quod cum intellexerimus argumentis eam refellere opus non iam est.

ex arte Aeschylea hanc quoque interpretati parodum Clytaemestram ante v. 261 scaenam introire negamus [1]). conferimus par. Pers. ita compositam ut initium idem sit, finis idem in utraque parte cantici partibus ipsis nullo vinculo coniunctis. atque eadem structura Agam. parodi modo ne inculces versus illos Wilamowitzianos. nam exeunte Pers. cantico priore Persae domi relicti pro exercitu metuere dicuntur. quibus verbis non minus apte adiungi possunt coryphaei (140)

ἀλλ' ἄγε Πέρσαι τόδ' ἐνεζόμενοι
στέγος ἀρχαῖον — φροντίδα κεδνὴν καὶ βαθύβουλον
θώμεθα . . .
πῶς ἄρα πράσσει Ξέρξης βασιλεύς . . .

quam alteri cantico in eandem exeunti sententiam atque aptissime Regina intraret scaenam recitatis anapaestis quam intrat post chori demum cantum. aptissime vero, immo multo etiam aptius Clytaemestra quoque antequam canere exordiatur chorus totus, scaenam introiret. Persarum chorico ad anapaestorum exemplar elaborato poeta quae illis protulit repetit: Agamemnonis quoque parodi pars lyrica imitatur sententiis canticum anapaesticum.

itaque et quod reducimur epilogo posterioris quo loco fuimus fine prioris carminis et quod partes illae nullo vinculo conexae leguntur, causa petenda est ex arte Aeschyli quippe qui parodum sic soleat componere ut sententias quasdam exponat primum epico tum carmine lyrico. quod

---

in urbe sacra factura (!); tum redire finito carmine“. non male etiam Keckius (57): „die königin bedeutet dem chor durch ernst abwehrende zeichen, daß sie in ihrer andacht nicht gestört werden dürfe und geht dann . . . ab“.

[1]) verum vidit Wecklinius (Studien zu Aeschylus 96) quem exscripsit Verrallus ad h. l.; at plane novum struendum erat fundamentum.

vero chorus ad regiam conversus reginam compellat quasi adsit in scaena, id ipsum quoque tragicorum est artificium per fines pertinens multo latiores. eam enim sibi proposuerunt legem ut a chorico transgressuri ad dialogum choricum cingentem choreutas ipsos compellantes inducerent fabularum personas sive commorarentur in scaena sive non commorarentur. qua de lege cum alio loco explicatius agere in animo sit, hoc loco argumenti instar duo afferimus exempla. Aiacis parodi anapaestos a coryphaeo recitatos contulit iam Wecklinius (l. l.): compellat Aiacem quem non conspicit, affirmat se ei esse fidelem, narrat quae in castris facta sunt, rogat ut timore se liberet (134 q. s.). Hippolyti autem parodus nescio an etiam aptior sit ad comparandum. feminae Trozeniae postquam enarrarunt (αα′) spectatoribus Phaedram dominam se audisse aegrotam (sicuti senes illi pauca exponunt de dominorum suisque ipsorum rebus) subito strophae β exordio ex Phaedra quaerunt

ἦ σύ γ' ἔνθεος ὦ κούρα
εἴτ' ἐκ Πανὸς εἴθ' Ἑκάτας...

quacum colloquuntur per strophas ββ′ quamquam illa scaena non egreditur. atque quonam affecta sit morbo uti interrogatur Phaedra, ita Clytaemestra cur sacra fieri voluerit; utraque autem in quaestione quasi inclusa est causa cur chorus ingressus sit orchestram[1]). igitur sicut in Hippolyto ita in Ag. post ultima demum chori verba aperitur regia. quo ero tempore aperiatur, in Ag. significari duco verbis chori (255)

πέλοιτο δ' οὖν τἀπὶ τούτοισιν εὖ πρᾶξις, ὡς
θέλει τόδ' ἄγχιστον Ἀπίας
γαίας μονόφρουρον ἕρκος.

tum salutem dicit coryphaeus

ἥκω σεβίζων σόν, Κλυταιμήστρα, κράτος.

incipit dialogus.

de eis qui restant parodorum prologis paucis potest agi. Aiacis chorico canentes exsequi choreutas quae per anapaestos enarraverat coryphaeus manifestum est: duae inquiunt sunt rationes quibus haec principis

[1]) quod vero etsi initio demum fabulae certiores fiunt Argivi Troiam captam esse, paulo post urbis incolae accedunt iam accensos affirmantes ararum ignes, in hoc minime est cur offendamus. iterum conferimus parodum Aiacis. Minerva Ulixem denuntiare iubet Graecis Aiacis insaniam. exit Ulixes, statim Salaminii accurrunt factum id canentes quod modo facturus erat ille.

nostri intellegi possit insania: aut deus nescio qui mente eum privavit (α) aut fictus est morbus ab Atridis et Ulixe (α′); utramque vero iam commemoraverat coryphaeus (137)

σὲ δ' ὅταν πληγὴ Διὸς ἢ ζαμενὴς
λόγος ἐκ Δαναῶν κακόθρους ἐπιβῆι,
μέγαν ὄκνον ἔχω . . .

atque cum anapaesti illius chorique canticum vel in eandem excurrant sententiam — bis enim Aiax iubetur egredi rumoremque disicere (166. 167—71. 191—195) sicuti Clytaemestram bis interrogatam audivimus cur sacrificaverit, Aeschylea structura hac quoque in parodo invenitur.

Alcestidis anapaesti perpauci; at hoc in propatulo est optime adiungi posse trimetros coryphaei

136 ἀλλ' ἥδ' ὀπαδῶν ἐκ δόμων τις ἔρχεται
δακρυρροοῦσα, τίνα τύχην ἀκούσομαι;

omisso chori cantico anapaestis 79 q. s. (cf. Wil. Gr. Tr. III, 154)

ἀλλ' οὐδὲ φίλων πέλας οὐδείς,
ὅστις ἂν εἴποι πότερον φθιμένην
βασίλεαν πενθεῖν χρὴ Πελίου παῖδ',
ἢ ζῶσ' ἔτι φῶς τόδε λεύσσει.

namque summa cantici est: dubitant choreutae ut dubitavit dux de fortuna Alcestidis. — itaque quamvis decurtaverint canticum anapaesticum, non recessisse videntur poetae minores ab arte Aeschyli cum parodos struebant more illius[1]).

separavimus adhuc anapaestos quibus praeluditur stasimis ab eis qui praecedunt parodis. at fuit tempus cum Graeca tragoedia argumento stasimis parodoque nondum dispertito ipsa illa constaret parodo vel si mavis stasimo. utrumque enim choricum forma putanda est eiusdem carminis sacri ac

[1]) stasimum Ionis 1229 excipiunt anapaesti undecim coryphaeo attribuendi quos ad chorici praecedentis exemplar compositos esse elucet cum ex initiis miro quodam modo congruentibus (canticum chori: οὐκ ἔστιν . . . θανάτου παρατροπά . . . anapaesti: οὐκ ἔστι λαθεῖν) tum ex sententiis, quando quidem coryphaeus postquam chorus exclamavit (1231 q. s.) φανερὰ τάδε . . . συμφοραὶ μὲν ἐμῶι βίωι, λεύσιμοι δὲ καταφθοραὶ δεσποίναι. τίνα φυγὰν . . . πορευθῶ θανάτου . . . ἄταν ἀποφεύγουσα, quasi haec omnino non essent dicta, denuo quaerit (1246) τί ποτ' ὦ δέσποινα μένει σε παθεῖν, ἆρα αὐταὶ πεισόμεθ' ὥσπερ τὸ δίκαιον; — an anapaesti Euripidei non sunt in locum lyrici carminis suppositi ut chori partes imminuerentur? (cf. Wil. Gr. Tr. III, 154 de Alc. v. 131—35).

religiosi [1]). igitur prologus anapaesticus utrique a poeta praemissus formae illi tribuere licet vetustiori, carmini Baccho sacro quod recitabant Athenienses die festivo in orchestram ingressi quae Bacchi cultui erat destinata. atque esse argumenta quibus tale procemium carminibus in deorum cantatis honorem antecessisse ostenditur non fugisse video viros doctos. iam Christius (Metr. 261) ex Aristophanis attulit comoediis anapaestos Thesm. 39 q. s. quibus Agathonis servus linguis favere iubet quia thiasus Musarum domi Agathonis adesset. nos vero alia allaturi sumus exempla id solum spectantes ut artem Aeschyli in clariore ponamus luce.

mystarum parodus Ran. 354 sic procedit ut uno stropharum pari a choro extra scaenam recitato coryphaeus habeat prologum anapaesticum quo arcet profanum volgus. tum

cor. (370)	pergit cor. (382)
I. *ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπὴν*	II. *ἄγε νυν ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν*
. . . τῇδε πρέπουσαν ἑορτῇ.	*τὴν καρποφόρον βασίλειαν*
cantatur carmen in Proserpinam.	*Δήμητρα . . . κελαδεῖτε.*
	carmen in Cererem.

cor. (394)

III. *ἀλλ' εἶα νῦν καὶ τὸν ὡραῖον θεὸν* (3 i.)
παρακαλεῖτε δεῦρο (ith. = 2 i.)
ᾠδαῖσι τὸν ξυνέμπορον (2 i.)
τῇσδε τῆς χορείας (ith. = 2 i.)
carmen in Bacchum.

simplicissima atque severa arte unicuique chorico praeludit coryphaeus: ter profert deum invocandum atque praedicandum, ter respondet chorus. pro anapaestis tertio loco iambi prologi munere funguntur quos quia lyrici sunt cum iambis tragœdiae conferre non licet. at eisdem formulis utitur comicus quibus tragicus poeta: aut particulam imperativam in principio ponit prooemii (form. I) aut chorum alteri personae (hic quidem populo) opponit (form. II). differunt autem hi prologi eo a stasimorum, ut taceam de parodorum, quod nil continent nisi unum illud coryphaei praeceptum.

constat hac mystarum parodo imitando expressisse Aristophanem pompam illam sollemnem die undevicesimo mensis Boedromionis Athenis Eleusina profectam. hoc in itinere mystas hymnos cantasse et per se

[1]) quo tendant quae scripsi lector sentit; argumenta affere hic locus non est.

patet et ostenditur comici imitatione. ex qua vel id necessario cogitur in pompa hierophantem vel alium ducem nescio quem praeisse mystis carmina eo quem ludit Aristophanes more.

praeter hos prologum chorici anapaesticum invenimus his locis: Thesm. 947 Av. 1726. — Vesp. 863 Av. 209 quibus locis sacros poetam imitari ritus aut ipse affirmat aut apparet ex sententiis atque dicendi genere. Thesm. 947 hymnos a feminis Thesmophoriazusis cantatos expressit atque quamvis incertum sit quomodo v. 953—85 dirimendi sint inter choreutas, hoc liquido apparet coryphaeum praeire cantum verbis (947)

ἄγε νυν ἡμεῖς παίσωμεν ἅπερ νόμος ἐνθάδε ταῖσι γυναιξίν,
ὅταν ὄργια σεμνὰ θεοῖν ἱεραῖς ὥραις ἀνέχωμεν...

atque iterum coryphaeum per iambos signum canendi dare v. 987

ἡγοῦ δὲ... σὺ κισσοφόρε βάκχειε
δέσποτ᾽· ἐγὼ δὲ κώμοις
σὲ φιλοχόροισι μέλψω.

Av. 1728 chori dux

ἀλλ᾽ ὑμεναίοις, inquit, καὶ νυμφιδίοισι
δέχεσθ᾽ ᾠδαῖς
αὐτὸν καὶ τὴν Βασίλειαν.

hymnus in Iovem et Reginam.

tum (1744) histrio pro coryphaeo

ἄγε νυν αὐτοῦ καὶ τὰς χθονίας
κλήισατε βροντὰς
τάς τε πυρώδεις Διὸς ἀστεροπὰς
δεινόν τ᾽ ἀργῆτα κεραυνόν.

hymnus in Fulmen.

Vesp. 863 sollemni precationi sic praeluditur

καὶ μὴν ἡμεῖς ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς καὶ ταῖς εὐχαῖς
φήμην ἀγαθὴν λέξομεν ὑμῖν.

Epops denique priusquam monodiam incipiat cantare quasi hierophantes sit vel chori princeps, lusciniam admonet παρατραγωιδῶν ita

ἄγε σύννομέ μοι παῦσαι μὲν ὕπνου
λῦσον δὲ νόμους ἱερῶν ὕμνων et q. s.

hic subsistamus atque quae assecuti sumus consummemus.

Aeschylus sicut conservavit formam chorici deorum in cultu usitatam ternis compositi vel strophis vel stropharum paribus ita prooemium

anapaesticum, προκήρυγμα cantus sacri, recitatum a coryphaeo dum chorus se praeparat ad canendum, consistit ad saltandum, populus quasi instituitur ad audiendum. sed sicut illam modo amplificavit modo minuit, sic prout poscebat fabulae actio anapaestos quoque nunc amplos reddidit nunc exiguos, atque hos quidem stasimis praemisit inprimis eis quae aptissima erant ut hoc religiosi cantus decorarentur ornamento, precationibus, naeniis, gratulationibus, illos parodis attribuit ut quas prae ceteris choricis augeri poetae vere tragici magni interesse oporteret. vinculum autem quo stasimum procemiumque erant coniuncta, illum ipsum dico coryphaei iussum, cum anapaesti multo ampliores facti essent chorico ipso, paulatim laxari necesse erat: partes discissae sunt, duo comparent carmina absoluta perfectaque atque cum olim coryphaeus precationem vel omnino gravissimam chorici sententiam paucis verbis praeisset, nunc pro maiore anapaestorum amplitudine structura ἐκ παραλλήλου adhibita invenitur.

ceteri tragici ut desierunt componere chorica parium ternorum, ita repudiaverunt προκήρυγμα stasimi; parodi prologum primum retinuerunt, deinde conformaverunt, tum omiserunt.

Conspectus totius dissertationis.

Magna molimur, parva perfecimus. hanc enim quam legitis dissertationis partem pro prooemio multo maioris volumus haberi operis quod de origine argumento compositione stasimi Graeci conscripturi sumus auctore U. de Wilamowitz-Moellendorff. etenim siquidem de prologo parodo soliloquio dialogo exstare videntur disputationes satis idoneae, tandem tempus esse ducimus inquirendi in chori carmina ex quibus nata est ipsa illa tragœdia Graeca.

in dissertationis vero parte altera quam de stropharum compositione scripsimus quae inerant, hic paucis adumbrare iubemur. egimus

1) de stropharum coniunctione grammatica. — sententias stropharum terminos transire strophis cum insequentibus grammatica ratione coniunctis Aeschylus passus est lyricorum artem imitatus (disputatur inprimis de Suppl. 581 Pers. 116 Sept. 851 Ag. 175. 237); qua ratione strophas antistrophosque conectere Sophocles et Euripides numquam sibi indulsere (disputatur de Hippol. 129 Rhes. 350), Euripides interdum antistrophos epodosque (Hec. 646. 942 El. 476). poetae natu maiores eandem verborum constructionem per plures valere strophas haud raro voluerunt, minor singulas per se stare maluit.

2) de coniunctione sententiarum. — Aeschylus in componendis sententiis saepe numero transiluit fines stropharum, Sophoclis Euripidisque strophae vel ad sententias absolutae sunt (disp. inprimis de Med. 430 El. Eur. 432). cum ille tum hi claudere solent strophas exclamationibus quaestionibusque rhetoricis, sententiis asyndetis quibus totius strophae quasi summam ducunt, nominibus gravissimis in fine strophae collocatis.

3) de epodi natura atque origine. — epodus et in lyricis et in tragicis carminibus ex antiquissimis temporibus eo fungitur munere ut chorum cum strophis narrando explicaverit nescio quid, suas ipsum sententias edentem inducat ita ut ad sententias quoque pro clausula habenda sit perinde ac *σφραγίς* nomi citharodici, epilogus epici hymni. hanc argumenti disponendi rationem cum ex lyrica poesi petiverint tragici, sequitur epodum ipsam quoque illinc eos transtulisse. unde clarius fit, cur omnino exeunte stasimo chorus tragicus ad ea transgredi soleat quae ad se ipsum pertineant.

Auctor de vita sua.

Natus sum Waltharius Kranz in viculo Hannoverano cui nomen est Georgsmarienhuette a. d. IX. Kal. Dec. anno 1884 patre Friderico matre Margaretha e gente Pflug. fidei addictus sum evangelicae. anno 1903 maturitatis testimonium in gymnasio Bismarckiano Wilmersdorfensi adeptus per duo semenstria Universitatis Georgiae Augustae, per sex Fridericae Guilelmae fui alumnus. docuerunt me Gottingenses: Bousset Dilthey† Leo C. Neumann (nunc Kiliensis) Schwartz (nunc Friburgensis) Wackernagel, Berolinenses: R. Delbrueck Diels Kekule de Stradonitz E. Meyer Norden Paulsen† Roethe W. Schulze Stumpf Vahlen Wentzel de Wilamowitz-Moellendorff Woelflin.

examine pro facultate docendi mens. Dec. anni 1907 superato inde a Kal. April. 1908 stipendia meritus sum Spandoviae, inde a vere anni 1909 in gymnasio Charlottenburgensi quod a Mommseno nomen trahit magistri munere fungor.

mens. Iun. huius anni Indicem verborum quibus philosophi qui ante Socratem erant usi sunt, edidi apud Weidmannos (Diels Fragmente der Vorsokratiker II 2).

examen philosophiae habitum est a. d. V. Kal. Aug.